DE DUCE ROHANIO
POST PACEM APUD ALESIUM
USQUE AD MORTEM
(MDCXXIX — MDCXXXVIII)

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

L. MENTION

UNIVERSITATI AGGREGATUS PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

EX TYPIS A. CLAVEL

9, VIA DICTA CITÉ D'HAUTEVILLE, 9

—

MDCCCLXXXIII

DE DUCE ROHANIO

POST PACEM APUD ALESIUM

USQUE AD MORTEM

(MDCXXIX — MDCXXXVIII)

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

L. MENTION

UNIVERSITATI AGGREGATUS PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

EX TYPIS A. CLAVEL

9, VIA DICTA CITÉ D'HAUTEVILLE, 9

—

MDCCCLXXXIII

INDEX OPERUM ET DOCUMENTORUM

SEU TYPIS MANDATORUM SEU ADHUC MANUSCRIPTORUM

QUIBUS HÆC THESIS FULCITUR

OPERA TYPIS MANDATA

HISTOIRE DE LA VALTELINE ET DES GRISONS, de 1620 à 1632. — Genève, 1632 ; in-8°.

MERCURE SUISSE. — Paris, J. Martin, 1634.

DE L'INTÉREST DES PRINCES ET ESTATS DE LA CHRÉTIENTÉ. (Rohan). Paris, 1638.

MERCURE FRANÇAIS. Paris, Richer, 1639.

LE PARFAIT CAPITAINE. (Rohan). Paris, Courbe, 1643.

HISTOIRE DU ROI LOUIS XIII. (Malingre). Paris, Collet, 1646.

HISTOIRE DE LOUIS XIII. (Bernard). Paris, Courbe, 1646.

DIE EIDGENOSSISCHEN ABSCHIEDE, von 1618 bis 1648, Berne.

MÉMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE DU CARDINAL DE RICHELIEU. (Aubery). Paris, Bertier, 1660.

HISTOIRE DE HENRI DE ROHAN. (Fauvelet du Toc), Paris, 1666.

MÉMOIRES SUR LES GUERRES D'ITALIE. Paris, Mabre, 1669.

TESTAMENT POLITIQUE. (Richelieu). Paris, 1674; in-8°.

Histoire du mareschal de Guébriant. (Le Laboureur). Paris, Billaine, 1676.

Historia Veneta. (Nani). In Venetia, MDCLXXIX.

Memorie recondite. (Vittorio Siri). Lione, Anisson, 1679.

H. Grotii epistolæ. Amstelodami, MDCLXXXVII.

Mémoires de M. de B., Amsterdam, Schetten, MDCCXI.

Histoire du règne de Louis XIII. (Levassor). Amsterdam, Brunel, 1717.

Mémoires de Montglat. Amsterdam, 1728.

Corps diplomatique. (Du Mont). Amsterdam, 1728.

Histoire militaire des Suisses au service de la France. (Zurlauben). Paris, Desaint, 1752.

Mémoires et lettres de Henri de Rohan. (Zurlauben). Genève, 1758.

Histoire du règne de Louis XIII. (Griffet). Paris, 1758.

Histoire de Tancrède de Rohan. (Griffet). Liège, Bassompierre, 1767.

Histoire de la vie de Louis XIII. (de Bury). Paris, Saillant, 1768.

Campagne de Rohan dans la Valteline. Amsterdam, 1788.

Histoire du ministère du cardinal de Richelieu. (A. Jay). Paris, Rémont, 1816.

Storia della Valtellina. (Romegialli). Sondrio, Cagnoletta, 1836.

Mémoires de Richelieu. (Michaud et Poujoulat). Paris, 1838.

Storia della Valtellina. (Lavizari). Capolago, Cantone Ticino, 1838.

Histoire de France sous Louis XIII. (Bazin). Paris, Chamerot, 1846.

Lettres, instructions diplomatiques et papiers d'Etat du cardinal de Richelieu. (Avenel). Paris, Impr. impér. 1853.

Histoire de France pendant les XVI[e] et XVII[e] siècles. (Ranke). Paris, Klincksieck, 1856.

GESCHICHTE DER KRIEGE UND UNRUHEN. (Sprecher von Bernegg). Coire, 1855.

MAXIMES DU CARDINAL DE RICHELIEU. (Hanotaux). Paris, Impr. nation., MDCCCLXXX.

DOCUMENTA ADHUC MANUSCRIPTA

ARCHIVES DES AFFAIRES ÉTRANGÈRES. Fonds des Grisons, (MDCXXIX-MDCXXXVIII).

— — Fonds de France — des Suisses — de Turin — de Parme — de Venise — de Rome.

MANUSCRITS DE LA BIBLIOTHÈQUE NATIONALE. Fonds Français, n^os^ 4106 — 4107 — 19890 — 3754 — 3755 — 3756 — 3757.

— — FILZA, Dispacci degli ambasciatori veneti in Francia (MDCXXIX — MDCXXXVIII).

ARCHIVES DU DÉPOT DE LA GUERRE. Minutes des secrétaires d'Etat de la guerre (MDCXXXV — MDCXXXVIII, passim).

DE DUCE ROHANIO

POST PACEM APUD ALESIUM USQUE AD MORTEM

(MDCXXIX — MDCXXXVIII)

CAPUT I

in quo exponitur hujus disceptationis argumentum.

Quæ fuerint res a duce Rohanio gestæ postquam, fractis hæreticorum viribus, e Gallia egressus est, anno MDCXXIX, paucis examinare nobis propositum.

Acri ingenio, promptoque ad agendum, Rohanius procul a patria recesserat non ut otio se daret sed potius ut novam inquieto animo materiam suggereret. Adde quod virtute, audacia et magnitudine rerum quas patraverat, pronos ad suspiciones animos moverat eorum qui tunc apud nos rebus publicis præerant. Constat enim legatis nostris apud externos populos præceptum fuisse ut vigilanter facta ducis specularentur ac veluti vestigiis insisterent.

Valde exoptabat Ricelius ut extrinsecus socii nostri provinciam aliquam illi deferrent. Cardinalis enim, quum de externis rebus cum hæreticis sæpissime in eadem consilia

inclinaret, intelligebat magnam nobis utilitatem percipi posse e solertia quum civili tum militari ejus qui apud nos reformatæ religionis caput haud sine gloria tamdiu exstitisset.

Itaque, quo tempore apud Venetos stipendia merebat, a rege Ludovico XIII haud semel delectus est, seu qui seditiones inter Helvetiorum pagos ortas compesceret, seu Rhætis auxilia ministraret ad tutandos saltus et Vallem Tellinam recuperandam.

Religionis similitudo, præclaræ ingenii dotes et laus ante parta, ex opinione uniuscujusque, animos Rohanio conciliare et viam expeditiorem facere videbantur. Attamen, quum, voti compos, tandem in Valle Tellina summam rerum administravit, eventus et amicorum spes et singularem ipsius industriam frustratus est.

Quibus vero de causis hæc adversa evenerunt et quare copiæ nostræ, anno MDCXXXVII, a Valle decedere coactæ sunt?

De his magna inter Ricelium et Rohanium orta est contentio :

Scilicet Cardinalis in *Testamento politico* [1] non minus Rohanii ignaviam quam Rhætorum perfidiam exprobrat. In his ubi res a se gestas explicuit Commentariis [2], multo acerbius etiam queritur quod male Dux pecunias publicas tractaverit, vel indebita de Vallitellinatibus tributa non sine lucro suo exegerit, quod seditiosorum aliquot hominum insidias, negligens vel potius conscius, toleraverit, quod inhonestam in deditionem ipse venerit, in quam et Leccum

---

[1] « Si une terreur panique de celui qui commandait vos forces dans la Valteline et l'infidelité de ceux pour la liberté desquels vous les aviez prises vous firent perdre et par lâcheté et par trahison tout ensemble les avantages que vous aviez acquis et par la force et par la raison, cette année fut plus heureusement couronnée par la reprise des isles de Sainte-Marguerite ». — *Test. pol.* p. L.

[2] *Mémoires de Richelieu*, anno MDCXXXVII, p. CXXXII et seq.

legatum repugnantem adduxerit, quum fraude mala intercepisset regias litteras quibus Leccus summa vi resistere juberetur, unde plus opprobrii regiis armis Rohanii segnitia et malignitate allatum fuerit quam rebus bene anteactis gloriæ.

Dux Rohanius contra, in his quæ, ut se purgaret, scripta reliquit [1], incuriam et socordiam eorum exprobrat qui rebus in Gallia præerant. Asserit exercitum eguisse frumento et omnibus quæcumque in bello necessaria sunt, supplementa quibus recreari posset defuisse, stipendiariosque Rhætorum milites, quum ærarii penuria tum æs tractantium rapinis, eo adductos esse ut, Hispanorum opibus allecti, a partibus nostris defecerint; Regemque, quum in suam clientelam res Rhætorum hæreticorum hactenus recepisset, fœdus improbavisse quo Rohanius controversias omnes, uniuscujusque jura decernendo, diremisset, atque ita effecisse ut Hispani Cæsarianique his populis quæcumque a Gallis frustra postulavissent ultro offerrent.

Nobis itaque in animo est, quo hæc diversissima quidem et inter se pugnantia facilius explanentur, præcipuas res quas dux Rohanius foras gessit resumere et disquirere quæ negotia Rex et ministri ei commiserint vel quid ab eo sperare aut timere debuerint.

Quod ad Vallem Tellinam attinet, satis apparet ex omnibus Cardinalis scriptis [2], quanti æstimaret eam regionem ab externo contactu inviolatam servari. Ad hos contra saltus occupandos aut retinendos non minorem hostium

---

[1] *Mémoires et Lettres de Rohan* ed. a Zurlauben, passim.

[2] Hanotaux. *Maximes du Card. de Richelieu* p. XV, XIX, XXI, XXIII, XXVI et passim. « La Valteline est importantissime aux Espagnols pour joindre les estats d'Italie avec ceux d'Allemagne, ce qui redouble les forces d'Espagne. »

pertinaciam fuisse et occultæ artes et iterati impetus demonstrant.

Exploremus ideo penes quos delicta fuerint, Rohanius ne an alii culpam admiserint, et quibus de causis, seu militaribus, seu politicis, seu pecuniariis, res nostræ tam prospere inchoatæ funditus inter hos populos eversæ sint.

CAPUT II

Rohanius a Gallis ad Venetos proficiscitur — Instat legatus noster apud Senatum ut sub signis hujus civitatis Dux militet — Venetorum copiis præficitur, mox privatæ vitæ redditur — Litteris paulisper indulget — De libro qui inscribitur «Le parfaict capitaine».

Quum omni ope adnisus esset ut reformatæ religionis causam contra Ricelium tueretur atque etiam in desperatis rebus ad pactionem cum Hispanis venisset, dux Rohanius, amicis undique deficientibus, in gratiam Regis pace apud Alesium rata redierat.

Attamen tanta odia in se publica vel privata non solum civilibus bellis sed etiam recenti cum hostibus societate concitaverat ut bene cautus, ad memoriam pristini temporis sensim exstinguendam, procul a patria migrare statuerit.

Itaque a Rege impetravit ut sibi liceret ad Venetos confugere, permissoque usus, celeberrimo civium concursu Venetias intravit ubi magnifico apparatu a Senatu exceptus est. Dictitabat Dux se privati morem et personam induturum esse, at reipsa majore spe excitabatur [1].

Confidebat se non diu omni publico officio destitutum in hac civitate permansurum. Ricelius enim, vel ante

---

[1] Filza, *Dispacci*. V. LXXI. passim.

pacem cum hæreticis, Venetis instabat ut militaribus Rohanii dotibus materiam præberent. Cui iterum atque iterum instanti objiciebat Senatus gallicum jam ducem unum Venetorum exercitui præesse, seque minus Rohanio confidere ex quo cum Hispanis pactus esset[1].

Avausius, legatus noster apud Venetos, idemque a Ricelio præpositus qui res gestaque Ducis sedulo inspiceret[3], dabat operam ut aliquod munus brevi Rohanio deferretur. Persuasum enim habebat audacem hunc animum et turbulentum non sine periculo in otio relinqui posse[2].

Repugnantem imo Senatum Rex ipse aggreditur, professus se soli duci Rohanio nec alii cuiquam concessurum jus in Gallia conscribendi milites qui sub Venetorum signis stipendia faciant; quumque huic civitati eo tempore maxime deessent copiæ, Rohanius in numerum tandem veneticorum ducum recipitur[3].

Gravibus autem negotiis respublica eo tempore laborabat. Ducem Mantuanum, Carolum Gonzagam qui ducatum ante inierat quam Cæsareæ Majestatis investitura confirmatus esset, armis opprimebant Cæsariani. Quum autem agrum Mantuanum Venetorum fines undique circumsepirent iisdem periculis quibus Carolus Veneti ipsi obnoxii erant.

Itaque in Mantuanos cum quibus amicitiam fecerat copias, commeatus, pecunias et machinas Senatus demitti jussit. Sed illæ copiæ, quarum haud procul ab urbe Verona castra posita erant, a Cæsarianis profligatæ sunt unde vicinas urbes, quæ etiam tum sub Venetorum ditione erant, maximus terror invasit.

---

[1] Filza V. LXXII p. CXXVII.

[2] Aff. Etr. Venise. *Dépêches de M. d'Avaulx* T. II. n° XLVII.

[3] « Il meurt sur pied faute d'occupation et devient à charge à soi-même.... Il serait bon de lui procurer quelque employ pour arrêter cet esprit qui aura peine à se tenir en mesure et pour attirer quantité de gens de la Religion et de son different party qui seraient mieux ici qu'en France. » (*Dép. de M. d'Avaulx* (prid. non. octob. MDCXXIX).

Quum Rohanius jam antea a duce Mantuano efflagitavisset ut sibi Mantuam defendendam traderet, statuit in his angustiis Senatus eum exercitui præficere qui periclitantes oppidanos recentibus militibus augeret. Quum autem Cæsariani in urbe haberent consiliorum suorum conscios et adjutores, serius venerunt quam oportuit auxiliares copiæ, atque obsessores, una ex portis per proditionem occupata, irruunt per Mantuæ vias quam vi et omnigenis flagitiis devastant.

Fœdus paulo post apud Ratisbonam ictum quum Gonzagam in ducatus possessionem restituit tum otio Rohanium reddidit. Veneti enim multo magis militibus quam ducibus carebant. Rohanium sibi adsciscentes, speraverant fore ut, ex promissis Regis, faciliores militum delectus in Gallia haberent [1]. Quum vero delectus illi nequaquam fieri possent, amare conquerebantur Venetorum legati et Rohanius, cum solo imperatoris nomine, sine exercitu atque inglorius senescebat.

Priusquam autem egrederetur e Gallis, dederat jam operam annalibus scribendis de rebus quæ a morte Henrici IV in Gallia evenerant. Quum invitus privati morem gerit, Paduam se confert ibique varia de re militari scripta componit quibus titulus hic inscribitur : « *Le parfaict Capitaine* ». In hujus operis prima parte legimus Commentariorum Cæsaris breve compendium cujus præfatio nomine Ludovici XIII inscripta erat [2].

In his quibus *de Bello gallico* disputatur, breviter Dux et vivide Commentariorum veluti medullam expressit. Quæ Cæsar de regione, de cœlo, de gentium moribus narravit Rohanius prætermittit quo facilius propositum suum assequatur, milesque de rebus militaribus solum disserat.

---

[1] Aff. Etr. *Dépêches de M. d'Avaulx*, MDCXXX, passim.

[2] Cum his verbis : « Je vous adresse les marques de mon oysiveté. »

Maxime apud Cæsarem in excogitando prudentiam, in agendo diligentiam, in periclitando pertinaciam et constantiam demiratur. Quumque causas tam prosperæ fortunæ a fonte requirit hanc primam in lucem profert quod alii ab aliis discrepantes Galli in unum consulere aut agere nequiverint, quamobrem fuerint victi quamvis Romanos numero antecellerent virtute autem non impares essent. Adde quod eos nec disciplina militari, nec ordine in acie instruenda, nec dispensatione commeatuum cum Romanis conferre velis. Gallos autem si quis ex improviso in unius populi corpus coagmentavit et ordinavit, extemplo fortuna Cæsaris in discrimen adducitur.

Inter varia romani ducis merita iterum atque iterum miram in castris emuniendis industriam extollit, quibus exercitum mobilibus quasi castellis tutatur dum militum robur continuis laboribus alitur.

Insequenti libro, tradidit Rohanius lucidum epitome Commentariorum *de Bello civili* quod inter duos cives ortum sit quorum alter æmuli, alter domini impatiens esset.

Pompeianos Brundusium, mox in Thessaliam, in Ægyptum, in Galliam, in Africam, denique in Hispaniam sequitur. Ibi Cæsari obstant non, ut antea, indoctæ barbaræque gentes, lingua, moribus inter se discordes. Romanis depugnandum erit cum romanis copiis, longa militia exercitatis, quibus præsunt duces rei bellicæ peritissimi, ex quo potissimum intelligi licebit quanto Cæsar et ingenio et variis artibus ducibus cæteris præstet.

In mari Pompeiani dominantur, hos in tractus mediterraneos deducet. Quod si fidunt equite, ita suos ordinabit ut maximam ex peditibus utilitatem capiat; mira denique industria usus, aut vires æquat viribus adversariorum, aut, si quid præter sententiam accidit, mutatis consiliis, ex improviso novo ordine aciem instruit. His, ex Rohanii

opinione, perfecti ducis Cæsar imaginem præstare videtur.

Dein anquirit qui fuerit apud Græcos ordo militaris quorum expletam et consummatam artem in phalange inveniri pronuntiat. Quomodo fuerit disposita, quibus armis instructa, quem in frontem explicata aut quantam in altitudinem densata diligentissime describit; quibus exploratis, ad hanc sententiam adducitur non multitudine sed arte et disciplina valere rem militarem quandoquidem Græci pauciores innumeras barbarorum copias afflixerint.

Bellica inde Romanorum instituta uberius etiam et a fonte repetens explicat: delectus in campo Martio exponit, et quomodo distribuantur equites, hastarii, principes, triarii, velites, quibus armis instructi sint, qua lege inter varias legiones ordinati. Cum vallis et turribus castra delineat ubi suus cuique locus circumscribitur. Miratur triplicem in dimicando cohortis aciem ita dispositam ut acies secunda primæ, tertia ambabus redintegrato impetu succurrat. Neque commeatus neque stipendia omittit. Pœnas autem et præmia ejusmodi esse notat ut milites minus opibus et pretio quam laude et æmulatione excitentur.

Græcos denique cum Romanis de acie ordinanda comparanti videtur phalanx maxime idonea esse quæ impetum aut faciat aut a fronte sustineat; mole autem prægravi ita esse impedita ut per iniquos locos incedere aut in utrumque latus per obliqua incursantes detrudere ægre possit. Romani autem, quibus arma erant breviora cohortesque mobiliores, quum præterea et in hunc modum dispositi essent ut alii aliis subvenirent, ex ejus opinione, maximam celeritatem cum maximo robore consociabant.

Omnia autem quæcumque in Romanorum militari disciplina haud modice Rohanius laudavit, eadem apud homines ætatis suæ prædicat in parte libri quæ inscribitur « *Traité de la Guerre* ». Romanorum exemplis fretus,

improbat exercitus ex militibus mercede conductis coagmentatos quibus valde civiles delectus anteponit. Prædicantur Romanorum arma, parmæ, cæteraque quibus corpus tegitur, imo, quod ad disciplinam pertinet, verbera quæ inter legiones in usu erant. Indignatur quod omnes illi veterum, vel in instruenda acie, vel in emuniendis castris, labores obsoleverint quibus corpora sudore multo et patientia firmarentur.

At enim propter novum machinarum tormentorumque apparatum quibus longe lateque glandes et saxa jaciuntur derelinquendus est veterum militaris ordo. — Rohanius his objectis assentitur de castellis aut oppidis quæ nec munire nec expugnare queas ut apud antiquos usitatum erat[1]. De acie instruenda autem affirmat optima esse apud nos instituta quæ apud Romanos optima fuerint[2]. Quod profecto haud mirum videbitur eo tempore quo machinæ, rudi fabricatione et mole minime tractabili, sæpe magis impedimento quam propugnaculo in acie erant.

Immoratur denuo de commeatibus quos Romani tanti æstimarent ut horum curam cuique inter duces probatissimo et illustrissimo traderent. Exoptat denique regem eum esse qui præsens et ipse suis exercitibus bella gerat nec cæteris relinquat id munus et regale officium ita ut non solum famam adipisci sed et sui juris esse et summam imperii tenere possit[3].

Quum autem in his Rohanius versaretur, quas ipse nugas strenuo animo indignas ducebat, externis rumoribus aures, jam majora tractaturus, nihilominus advertebat.

---

[1] *Traité de la Guerre*, cap. VIII.

[2] *Le parfaict capitaine* : « La diversité de nos armes à celle des anciens ne nous doit point faire mespriser leurs ordres. » — Id. Cap. IX. *Discipline militaire des Romains* : « Ceux qui s'approcheot le plus de la manière des anciens Romains aussi bien aux places qu'à la campagne, ce sont ceux qui se rendent les plus excellents capitaines. »

[3] *Traité de la Guerre*, cap. XXII : « Un grand prince doit-il faire la guerre par lui-même ou par lieutenant? »

CAPUT III

Rohanius ad Rhætos primum missus, anno MDCXXXI. — De Monsonianis pactis. — Quæ fuerint Ducis cum rege Suecorum Gustavio-Adolpho commercia. — De diversis apud Helvetios legationibus. — Denuo privatus, Venetias remittitur, anno MDCXXXIII.

Rohanius, dum otium effugere cupit, ab anno MDCXXX, Ricelium hortatur ut Mediolanensem agrum opprimat[1]. Sub idem fere tempus, sollicitatur a Regis fratre, Aurelianensi duce, qui palam arma contra patriam sumpserat, medium se interponente eodem Clausellio a quo Rohanii pacta cum Hispanis tractata erant.

Minime motus autem hujus promissis, Dux, quo de fide sua minus dubitari posset, legato nostro apud Venetos litteras, quas acceperat, exhibuit[2]. Declaravit etiam qua inertia torpesceret et quam libenter stipendia sub rege Suecorum facturus esset[3] a quo tunc reformatæ religionis fautores ad arma concitabantur.

---

1 Aff. Etr. Rohanius Cardinali a. d. VI. id. jan. MDCXXX : « C'est un projet qui démembre toute la monarchie d'Espaigne et attache à la France toute l'Italie, et quel trouverez plus facile à executer que la moindre des choses que vous avez faites depuis deux ans pour le service du Roi. »

2 Aff. Et. Venise. *Dépêches de M. d'Avaulx* (a. d. V. cal. sept. MDCXXXI.)

3 « Son dessein est d'aller servir le roi de Suède si Sa Majesté le lui permet et il est déjà fort avant avec l'ambassadeur de Suède qui lui offre la généralité des Français. Mais il entend être lieutenant-général. » (Aff. Et, Venise. *Dépêches de M. d'Avaulx.*)

Quo audito, ministri Regis, ne Dux in castris extranei principis mereretur, statuunt eum legatum ad Rhætos mittere inter quos, sicut apud Helvetios, religionis congruentia maxima in gratia esset.

Valde tunc Rhæti fœderis Monsoniani impatientes erant. His enim pactis omni fere jure in Valle Tellina spoliati, vix quamdam dominatus speciem retinuerant :

Ne quis reformatam religionem in Valle sequeretur vetitum erat sicque domini dominio arcebantur ita ut nec res provinciales jam administrare, nec judicia exercere possent. Procuratores, judices cæterique magistratus a Vallitellinatibus eligebantur, et, quod multo magis contumeliosum erat, delectus omnes Rhæti probare cogebantur. Nulla ad eos in litibus provocatio erat. Denique uno solum vinculo sub rhætica ditione hæc regio adhuc retinebatur, tributo scilicet quod, ex Hispanorum Gallorumque consensu, indictum ad xxv millia scutorum in annos singulos erat. Rhæti autem nec illud vi exigere nec in Valle præsidia collocare poterant[1]. Castella Summo-Pontifici tradita solo erant adæquanda. Ipse Pontifex per nuntios his conditionibus peragendis attendebat ne quid detrimenti caperent catholici, acciturus, si quid mali ex Rhætis oriretur, Hispanorum Gallorumque reges qui seditiosos comprimerent[2].

Fœdere tam commodo recreati Vallitellinates et magis ac magis Hispanorum partibus indulgentes res suas seorsum, omissa omni Rhætorum tutela, procuraverant. A rebus gerendis, a jure civili, imo, a jure in Valle habitandi externum vel hæreticum quemque, Rhætos scilicet, vitæ periculo et bonorum amissione dimoverant ita ut ne illi quidem qui catholicam fidem amplecterentur magistratus ante decimum

---

[1] In fœdere monsoniano apud art. XIV. (Du Mont. *Corp. Dipl.*)
[2] In fœdere monsoniano ap. art. X, XI, XVIII.

annum inire possent. Jus sibi assumpserant fœdera sanciendi, instituendi tributa, æs publice signandi, angustiarum denique transitum cuilibet concedendi, quarum aditus magis ac magis Hispanorum copiis pervii patebant.

Illa tamen pacta, quibus Vallitellinates ditionis alienæ fiebant, nunquam Rhæti accepta aut rata habuerant. Per antiquam et perpetuam societatem, opem tutelamque a rege Gallorum imploraverant [1] cui brevi haud dubium fuit quin ejusmodi fœdus Hispaniæ solum lucro esset.

Jubebatur ideo a Rege Rohanius rhæticos animos sibi quam maxime conciliare, hujus gentis in Valle Tellina jura tueri, hos, si posset, cum Vallitellinatibus componere et castella ibi a Cæsarianis servata aut ex integro exstructa evertere.

Quo autem facilius mandata perficeret, necesse erat ut copiis et pecuniis adjuvaretur, quæ utraque deficiebant.

Inter hæc, afflictis Cæsaris viribus, rex Suecorum per totam Germaniam velut triumphans incedebat. Jam ad fines Helvetiorum accesserat quos in fidem et amicitiam suam nuntiis iteratis sollicitabat. Illius autem adventus per totam regionem animos quum catholicorum tum hæreticorum adeo accendebat ut civiles motus prope jam fierent, quos, jubente Ludovico XIII, Rohanius prudentia et auctoritate compescuit.

Quum autem haud longe abesset Gustavius-Adolphus, mirumque terrorem Cæsarianis et Hispanis jam incuteret, statuit Dux, Suecorum auxilio fretus, efficere ea quæ solis tum Galliæ viribus effici posse haud arbitrabatur.

Litteras itaque Gustavio mittit quibus illum hortatur

---

[1] Du Mont. *Corps dipl.* « Il n'y a que S. M. qui soit intéressée pour les passages..... Tant que les Valtelins en seront les maîtres, les Espagnols en auront le pouvoir et tant de millions d'or que S. M. et les rois ses prédécesseurs y auront employés depuis 112 ans en ça seront entièrement perdus. » (Ex epistola trium Fœderum ad Regem missa a. d. IV, cal. febr. MDCXXIX.)

ut Lindavia et Constantia-Helvetiorum oppidis potitus, Tyrolensem agrum invadat et Vallem Tellinam occupet, unde Mediolanensem ducatum et hispanicum robur in Italia uno quasi impetu opprimat. Cui dehortanti rex Suecorum responsum dedit [1], quo, laudato consilio, se quam citissime illud esse peracturum affirmabat. Nec multum abfuit quin trans Alpium juga exercitum traduceret.

Dux interea, etiam atque etiam ministris Regis instabat ut, tempore usi et bona mente regis Suecorum, inceptis in Valle Tellina quam maxime faverent. Non pari autem studio Ricelius exoptabat Gustavium-Adolphum rebus Italicis immisceri, quem cæterum Waldstein, ab otio revocatus refectisque viribus, brevi in Germania ad nova prælia lacessivit.

Postquam autem rex ille apud Lutzen occubuit, res reformatæ religionis denuo in ancipiti fuerunt, et, sub finem oct. an. MDCXXXII, Cardinalis Rohanium Venetias redire jussit quamvis præ se ferret Dux litteras a Cancellario Oxenstiern scriptas quibus declarabatur defuncti regis incepta quam diligentissime peragenda esse.

Antequam autem ab his regionibus decederet, Dux, cujus summa erat in his popularibus gratia, bis apud Helvetios minister Regis delegatus fuerat qui civiles discordias ab Hispanis motas componeret.

Quarum prima causa ex odiis oriunda erat quæ inter

---

[1] « Nous trouvons votre conseil tout à fait louable et très prudent, et ne « nous trouvant pas seulement en votre voisinage avec toute notre armée, « mais encore nous résolvant de nous en approcher tous les jours, nous l'em- « brassons bien volontiers. Nous avons donc résolu, moyennant l'aide de Dieu, « de nous porter nous-même sur le lieu destiné dans peu de jours, ou à tout le « moins d'y envoyer des forces bien choisies, vous priant très amiablement de « persévérer dans ce dessein et conférer avec nous de vos bons conseils et « intentions sans délai ni interruption, et, pendant que nous approchons avec « les susdites forces, de vouloir bien vous tenir en bon etat et au besoin faire « tout ce qui sera du bien commun de la Chrétienté et du particulier avantage « de cette expédition. » (Aff. Etr. *Grisons*, an. MDCXXXII).

Tigurenses excitata fuerant et Glaronenses cæterosque catholicos pagos, quibus in globo erant communia prædia [1] (Thurgovia scilicet Rhenanusque Comitatus). Quorum incolæ quum una hæreticæ catholicæque ditionis essent, utraque religione ad libidinem suam utebantur. Contendit autem Sancti-Galli abbas quidam vel hæreticorum matrimonia ex arbitrio curiæ romanæ pendere, quumque in concilio pagorum ad hanc litem componendam congregato catholici numero præpollerent, vicit abbatis sententia. Tigurenses, minime ab iis persuasi qui numero potius quam juri fidebant, jam ad arma confugerant quum Rohanius, inter feroces animos se medium interposuit effecitque ut æqua lege postea res utriusque religionis decernerentur.

Interea Mulhusium oppidum, in fidem nostram receptum, contra occultas artes archiducis Leopoldi, jussu Regis, defenderat. Nova autem de eadem urbe contentio Bernensium et Solothuriensium certamen adduxit : scilicet quum supplementa Bernenses hanc in urbem, recreandi præsidii causa, ex antiquo usu mitterent, eorum copias ex itinere, sub finem an. MDCXXXIII, Solothurienses adorti fuderunt.

Minime vero de illata injuria ab impugnantibus satisfactum fuit, Bernensesque urbem Solothuriensem, undique prædiis suis circumseptam obsident. Res communi pagorum concilio defertur in quo Rohanius omni ope demonstrat ejusmodi jurgia, ab Hispanis mota, eo solum pertinere ut perditum eat antiqua inter helveticos pagos societas, et hujus consiliis ac prope precibus pœnæ sontibus constituuntur [2].

Quum Dux autem tot tantaque his in regionibus ageret tantamque sibi laudem, et, quod majus fuit, tantum civium amorem et studium compararet, eane dominandi cupiditate

---

[1] Gallice dicta « bailliages. »

[2] *Mercure Français* p. CLXIV. — *Mercure Suisse*, p. LVII et seq.

flagrabat ut, nomine Regis, rebus suis solummodo faveret? Id sane, aut recte aut perperam, gallici ministri veriti sunt.

Duobus vix mensibus exactis, a Venetis Dux egressus, injussu Regis, Tigurensem urbem revertitur. Quo audito, in aula graviter commoti sunt animi [1]. Quid sibi vult id ex occulto susceptum iter? Quid molitur, invito Rege, apud Helvetios? Ideoque Rohanio mandatur ut quam citissime illuc unde profectus est remigret. Frustra sese purgans respondet se morbo gravatum medicatis aquis eguisse [2]. Ministri autem, segniores ad credendum, inter se quærunt quem fructum ex morbo se percepturum esse speraverit.

Rex vero brevi consilium mutat : redintegratis Rhætorum querelis qui semper ex hispanica ditione pendent, res Vallitellinatum iterum agitantur, placetque omnium primum Helvetiorum societatem expostulari ne priscum catholicorum pagorum fœdus cum Hispanis renovetur, quod quidem Rohanii fidei et industriæ commissum est.

Ineunte jul. mense, an. MDCXXXIII, regiis litteris restituitur Dux legatus apud Rhætos qui copiis ibi præsit armisque saltus Vallitellinenses tueatur. Jubetur autem catholicam religionem in Valle, exclusis cæteris, solam tolerare. Jus eidem datur cum Suecis qui haud longe aberant consentiendi et ab iis auxilia petendi.

Sed eo jam tempore lacessitur Dux ab iis qui apud nos rei pecuniariæ præsunt [3]. Desunt et copiæ et nummi qui-

---

[1] Rex Rohanio : « J'ai esté adverti que vous êtes retourné aux Grisons sans doute sur quelques advis qui vous auront été donnés que ceux qui ne voient pas volontiers ces peuples en état de garder leurs passages par mon assistance veulent prendre le temps que les trouppes sont reformees par delà pour y faire quelque nouveauté. Sur quoi il suffisait de me faire savoir s'il y avait quelque chose qui pressât pour y pourvoir, sans prévenir mes ordres comme vous avez fait par excès d'affection à bien faire. Vous retournerez donc à Venise incontinent que vous aurez reçu la présente et y demeurerez sans revenir aux dits Grisons pour quelque raison que ce soit jusqu'à ce que je vous l'ordonne. » (Bibl. Nat. *Reg. des dépêches de la Court de l'année* 1633.)

[2] Id., Rohanius Regi.

[3] *Mémoire envoyé en Cour touchant les refus qu'on me fait de payer les emprunts que j'ai faits pour maintenir les troupes du Roi aux Grisons, du 24 mars* 1633. (Bibl. Nat. f^ds^ fr. 4186).

bus in helveticis pagis legiones conscribere aut civium animos sibi conciliare possit. Frustra pedites a Suecis expostulat: deest ipsis peditum robur, et equitum turmæ, quas Rohanio demittere possent, per angustias et avia montium sane inutiles forent.

Itaque, omni ope nudatus, inermis ac velut assidens spectare cogitur Hispanorum Cæsarianorumque agmina quæ a Tyrolensi aut a Mediolanensi agro aperte per saltus rhæticos transeunt. Immo litteris gallici ministri diem ad agendum iterum prorogant; submisse patiuntur fœdus Monsonianum violari, opusque a Rohanio inceptum demorantur, quippe quos novæ in Gallia molestiæ impediant: restinguenda est prius seditio a duce Lotharingiæ mota [1].

Inter hæc, jamjam a Rhætis profecturus, Dux, jussu Regis, inter Suecos et Helvetios se arbitrum interponit. Nam quum ad obsidendam urbem Constantiam marescallus Hornius cum copiis agrum helveticum invasisset, catholici pagi valde concitati suos ad arma vocabant. Cura et ope Rohanii [2], Sueci, obsidione relicta, ab agro contra jus gentium occupato decesserunt.

Minime tamen illis quæ supra memoravi impedimentis lassatus, patienterque moras illas ferens, Dux, quem frustra donis aut minis Hispani ad suas partes trahere conabantur, totum se patriæ et Cardinali [3] deditum affirmabat sperabatque se mox novum aliquod munus accepturum esse.

---

[1] *Reg. des Dépêches de la Court de l'année* 1633. (Rex Rohanio a. d. VI, id. sept.)

[2] Id. passim.

[3] « Il faudrait être mauvais Français qui n'appréhenderait le moindre mal qui vous arrive puisque sous votre généreuse et prudente conduite la France reprend son ancienne splendeur, et tous les princes et estats chrétiens recouvrent leur liberté, ce qui redonde à la grande gloire de notre nation. Aussi sçais-je que toute l'Italie et l'Allemagne ont les yeux fixés sur vous comme sur leur restaurateur. » Et alias : « Vous accumulez sur moi tant d'obligations les unes sur les autres qu'il faudrait que j'employasse tous les jours de ma vie à votre service pour humblement satisfaire à une partie de mon devoir. » (Ex Rohanii epist.)

Prius vero quam bellum apud Rhætos strenue capessérent, optabant ministri regii Helvetios Venetosque in societatem nostram adducere. At in Helvetia catholici pagi, Hispanorum donis allecti, in eo jam tum erant ut cum his fœdus antiquum renovarent. Veneti autem, uti antea, conditiones nostras et promissa omnia respuerant [1].

Reg. des dép. de la court. — Filza, LXXXV, passim.

CAPUT IV

Rohanius in patriam revocatur, anno MDCXXXIV. — Mittitur in Elsatiam. — Mox ad Rhætos cum copiis proficiscitur. — Secunda contra Cæsarianos Hispanosque prælia. — Angustæ res ærarii. — Bulionii et Serviani contentiones. — A consiliis Regis Servianus dimittitur.

Quum procul a negotiis privatus iterum degeret, operam dedit Rohanius commentariis de diversis Helvetiorum pagis, et hujus regionis descriptionem maxima cura effici suo sumptu voluit. Alia etiam scriptis mandavit quæ postea collecta et in lucem edita fuerunt [1].

Constat ex his Rohanium non minus politica quam militari arte eminuisse. Ricelii, cujus nomen in hoc libro inscribitur, miram in consiliis prudentiam prædicat, non quidem ut, pronus in obsequium, Cardinalis aures fucatis verbis permulceat, sed quia sæpissime, in politicis rebus, utrique una est et eadem sententia. Utrique videtur ad Galliæ salutem permagni interesse ut Hispania Austriaque refrenentur et de universi imperii possessione dejiciantur. Pari prudentia perpenditur communis cæterarum gentium utilitas, arbitranturque ambo tandem rerum civilium artem a religione esse seponendam.

Dux, inter hæc, aprili mense, an. MDCXXXIV, iterum

[1] Sub hoc titulo : « De l'intérest des Princes et Estats de la Chrestienté. »

in publica bellicaque negotia reducitur. Rex noster, Venetorum et Helvetiorum auxiliis frustra efflagitatis, solus demum in Valle Tellina opus aggreditur. In eas enim angustias ventum est ut Sueci jam ancipiti hoste, hinc ab Hispanis, illinc a Cæsarianis urgeantur et in eo sint ut jamjam opprimantur.

In patriam tunc revocatum et ad suos redeuntem benignis verbis Rohanium excipiunt Rex, Cardinalis et Pater Josephus. Mittitur cum copiis in Elsatiam.

Rhenum ibi transierat dux Lotharingiæ cum hostibus nostris ducatum suum recuperaturus. Rohanius eum, profligatis copiis, bis ultra flumen retro egit. His autem in regionibus contra Cæsarianos arma se moturum esse fingebat quo facilius secretum propositum assequeretur. Hoc enim improviso tumultu, Cæsarianos terrere et quam proxime ad helveticos fines accedere volebat unde, post hiberna, citato agmine, ad Rhætos transmigraret, Tellinam Vallem occupaturus.

Itaque sub finem mart., an. MDCXXV, summa ope rem taceri jubet, et, maximis itineribus, Basileam urbem ingreditur.

Inde, ne, si transitus licentiam in publico Helvetiorum concilio flagitaret, diffidentibus vel reluctantibus populis, tardaretur, donis aut minis singulos adortus est, et, post paucos dies, Curiam in præcipuam Rhætorum urbem intravit. Inter hæc, Regis alter legatus, Landæus nomine, jam antea ad Rhætos cum parva militum manu demissus, Tellinam Vallem, Bormiensem et Clavennensem comitatus sine ulla dimicatione occupaverat.

Quo audito, ut Rhætorum elati, ita Vallitellinatum animi prolapsi sunt[1]; hi confestim opem petentes legatos miserunt ad mediolanensem procuratorem a quo promissum

[1] Lavizari. *Storia della Valtellina*, v. II, p. CCXIX.

fuit integra et incorrupta, Hispanis adjuvantibus, Monsoniana pacta permansura. Imo, ut ad spem erigerentur, nuntiatæ sunt a Tyrolensi agro germanicæ copiæ quibus a a septentrione Rohanius opprimeretur dum simul a meridie tergo ejus Serbello, dux Hispanorum, instaret.

Bene quidem successit primus Cæsarianorum impetus. Landæus, cum parte copiarum a Bormiensi comitatu decedens, superiorem Œni vallem petere coactus est. Cujus regressu debilitatus, Rohanius æque legiones a Vallis Tellinæ finibus abduxit.

Quum autem Rhæti, incitante austriaca factione, circa Curiam tumultuantes [1], Consilii principes minis insectarentur ut cum Cæsarianis consilia communicarent, Dux, ratus hos populos victoria solum placari posse, ad Landæum transgreditur, et, per Vallem Luvinam agmine circumducto, in hostium terga impetum facit, Vallem totam recuperat resque labantes restituit : Mox, MCC Helvetiorum auxilio recreatus, in Mediolanensem agrum retro egit sine prœlio Serbellonis copias quæ jam, circa Sondrium, secundum ripas fluminis Adduæ subierant.

Iteratus paulo post Cæsarianorum, imperante Fernamonte, impetus parem exitum habuit et dux ille, mense oct. apud Vallem Frelam profligatus, in Tyrolem se recepit. Parte alia Hispani, qui in Vallem regressi apud Morbegnum insederant, ineunte mense nov., acri pugna cæduntur. Ita, post quatuor prœlia pariter præclara [2], vacua hostibus regio erat, quam victoriam prædicavit his verbis Grotius : « Quod de Sicilia dixit Cicero nunquam inde malum « venisse Romanis, id ab eo certe tempore ex quo armis « dux Rohanius præfuit dicere mihi Gallia videtur posse

---

1 Aff. Et. *Grisons*, a. d. XIV. cal. jul. a. MDCXXXV.

2 *Mém. de Rohan.* Zurlauben, p. CCXX : Des quatre combats, Luvin fut le plus hasardeux, Mazzo le plus avantageux, Frèle le mieux entendu, Morbegno le plus glorieux .»

« de Valle Tellina, ita omnes inde litteræ sunt, ut roma-
« num in morem, laureatæ[1]. »

Necesse autem erat, ut ibi confirmari res nostræ et augeri possent, Rohanium militibus, nummis et commeatibus reficere, castella semiruta restituere, et in primis Rhætis de possessione Vallis promissa præstare.

Quod ad exercitum attinebat, gallicis copiis, jam satis dimicando extenuatis, fuerant additæ sex Rhætorum legiones et ex Helvetia duæ. Præcavendum autem erat ne gradatim in exercitu nostro alienigeni milites numero prævalerent. Ideo, crebris litteris, Rohanius a ministris equitum peditumque gallica supplementa petebat. Cui expostulanti omni ope auxiliabatur Servianus qui, Regis a secretis, res belli curabat, idem fautor rerum apud Rhætos inceptarum et Rohanii prudentiæ virtutisque studiosus laudator[2]. Nec Servianum autem nec Ricelium ipsum fallebat quam utile et prudens esset has vires externas domesticis viribus confirmari. Fine an. MDCXXXV, novi delectus decreti; aug. mense, duæ gallicæ legiones ex Provincia in Vallem missæ, et, an. MDCXXVI ineunte, quatuor pro helveticis copiis legiones designatæ sunt[3].

Castella vero, quæ pleraque contra Monsonianas conditiones etiam tum stabant, dilapsa vetustate, machinis et commeatu nudata, omnibus rebus instruenda erant quæ in longam obsidionem usui esse possunt. Mense mai. Ricelius jubet a Bulionio ærarii præfecto ad id comparari pecunias, et machinas a Venetis expeti[4].

Inter cibaria autem panis maxime rarus erat nec parvo constabat. In his regionibus copiarum frequentia protritis,

---

[1] *Grotii Epist.* (prid. non. dec. MDCXXXV.)

[2] « Je reconnais vous être beaucoup obligé. Je sais que vous avez été auteur de mon premier emploi aux Grisons, aussi en gardé-je en mon cœur le ressentiment tel que je dois ». (Ex epist. Roh. ad Servianum a. d. VI. cal. oct.

[3] Avenel. (Ex epistolis Ricelii ad Servianum, passim.)

[4] Dép. G. Cart. 25, passim.

ubi res exigua, ubi ager ita frugum inops erat ut cives plerumque stipendiis se sustentarent, ne incolis quidem suppetebat victus.

Necnon et interea Ricelius Servianusque omni ope nitebantur ut his malis remedia afferrent : res pecuniaria in summo discrimine erat unde maxima pars mali exorta est. Minuendis rei bellicæ impensis operam dabat Bulionius : inde crebræ cum Serviano contentiones in quibus hic [1] de copiarum egenis rebus, ille autem de vacuo ærario querebatur ; cui quidem dolenti Ricelius promissa dabat [2] quæ in illis rerum angustiis præstare nequibat. Necesse enim erat, quamvis priscis vectigalibus impensæ minus sublevarentur, Parlamentumque ne vectigalia nova crearentur obstaret, non solum res militares sustinere, sed etiam ministrare subsidia italicis principibus, Suecis, Batavis aliisque Cæsarianorum hostibus. Quid mirum si fiscus oneri succubuit ? Grotii epistolæ de Bulionii vel impotentia vel malevolentia redundant : « Bulionius, ait, pecuniam Regis non sine lucro « suo comprimit... His diebus, quum adesset Regi princeps « Condæus simulque Bulionius, acriter in hunc princeps « invectus est quod ipsius tenacitate miles vacuisset Valli « Tellinæ tutandæ ; addebat non id a se dici ulla Rohanii « cura quem abs se non amari ratum esset omnibus, sed « quod labes francici nominis merito sibi dolori esset [3]. »

Exploratum est hujus ministri mentem rebus apud Rhætos inceptis jam antea alienissimam fuisse, quas quum irritas fore tum nimis sumptuosas esse ducebat.

Haud semel nummi, copiis nostris assignati, inter tractantium manus hærent : Mense mai. MDCXXXV, unus e præpositis pecuniarum curæ CM libr., de solido, fraude

---

1 Dép. G. Cart. 25, n° 286.

2 Avenel. (Ricelius Bulionio a. d. XIII. cal. mai. MDCXXXV).

3 Grotii epist. a. d. VI. id. jul. MDCXXXV.

detrahit, ita ut Rohanio nulla copia sit seu castella muniendi, seu stipendia Gallis, Helvetiis Rhætisque exsolvendi qui jamjam effuse a signis dilapsuri sunt.

Penuriæ duplex causa est : Mittuntur nummi pauciores quam pro numero militum ; dein, quum pro victu, in mensem quemque $\overline{\text{LV}}$ libr. opus est, ægre $\overline{\text{XX}}$ eo transferuntur.

Quæcumque epistolæ a Valle veniunt, efflagitationes querimoniasque corroborant quibus Rohanius Regem, Ricelium cæterosque ministros insectatur. Quidam ex Cardinalis clientibus, Lasnerius, huic exercitui procurator missus, justitiæ simul ac pecuniis curandis præpositus (primum autem hujus munus erat ut Clausellius [1] qui, auctore matre Regis, Rohanium a partibus nostris avellere tentaverat, capitali pœna afficeretur), per litteras significat [2] copias jamjam in eo esse ut inedia pereant, Rohaniumque, exhaustis subsidiis amicorum, coactum fuisse nummos aliquot petere a Meliano, nostro apud Helvetios legato, ne res omnino everterentur.

Quæ omnia ægre ferens Servianus vivide Bulionio cæterisque ærarii præpositis instabat quorum negligentia res militares in tantum discrimen adductæ essent.

Quum autem eorum penes Regem Riceliumque major esset et auctoritas et gratia, e regali consilio dimissus est, ineunte an. MDXXXVI, et Salmurium relegatus. Quod profecto negotiis in Valle inceptis grave fuit quæ semper Servianus, pro virili parte, fautor et adjutor respexerat.

1 Vide Avenel (id. oct. MDCXXXV.)

2 Lasnerius Ricelio a. d. IV. non. mart. MDCXXXV (Aff. Et. *Grisons*).

CAPUT V

De Rohanii copiarum conjunctione cum italico exercitu. — Quibus de causis inane id inceptum fuerit. — Obnititur Rohanius si inter Rhætos et Vallitellinates concordiam restituere queat. — De fœdere apud Tosanam inito. — Denegatur hujus ratihabitio a Rege et ministris. — Hispani contra a Monsonianis pactis discedunt. — Summa rerum inopia. — Gallicarum legionum seditio. — Rhætorum querelæ et minæ — Rohanii ægrotatio.

Occupata Valle Tellina, constitutum erat in Regis consiliis Rohanii copias in unum esse conjungendas cum iis quibus in Italia Crequiacus et dux Sabaudiæ præerant, non solum ut Cæsariani a transitu Sancti-Gothardi angustiarum arcerentur, sed etiam ut Mediolanum opprimeretur.

Sub finem an. MDCXXXV, ex mutua ducum consensione destinatum erat nostrum in Italia exercitum, trajecto Ticino et adverso flumine progressum, mox ad lacum Lirium cum Rohanii militibus congregatum iri quibus interea castellum quoddam, nomine Lecco, expugnandum esset.

Res, ad jan. mensem proposita, dein ad mart. prolata est quia prius in Valle castella instruenda erant, atque a Rohanio simul ac duce Sabaudiæ supplementa ex Gallia exspectabantur quibus reficerentur legiones.

Quum autem exspectando prætermitteretur tempus, ab Hispanis ager Mediolanensis copiis præsidiisque emuniebatur. Imperatori, ex antiquo fœdere, a catholicis Helvetiorum

pagis, Sancti-Gothardi transitus concedebantur, et, sub finem jan., v millia Cæsarianorum per hanc viam augebant Leganesi copias quibus et alia a Neapoli auxilia Genuenses subvehebant.

Quæ vero ducibus nostris maxime necessaria erant ad agendum supplementa, Noyerius, qui Serviani provinciam receperat, longas post moras mandataque inter se contraria[1], exacto admodum apr. mense, trans montes tum demum ire jubet.

Imo, animadvertendum est partem copiarum, antea a Serviano Valli Tellinæ destinatam jam tum in Italiam deduci ita ut Rohanius, cui maxima opera incumbebat in Mediolanensem agrum transituro vix paucis militibus recreatus sit[2].

In Italia autem, princeps fœderatus quisque sibi præcavebat. Duci Sabaudiæ sollicita mens erat ne a regione sua discederet. Dux Parmensis, cujus fines hispanicæ legiones invaserant, quomodo sua recuperaret meditabatur. Quod ut tentaret, a Rege obtinuerat ut manui equitum

---

[1] *Dépôt de la Guerre*. Cart. 17, passim.

[2] *Dépôt de la Guerre*. Cart. 27, N° 341 :

Valteline (Recrues) :

La recrue et les compagnies d'augmentation :
de Frézelières,
de Melun,
de Serres,
de Vandy.

Valteline (Régiments) :
de Merveille,
de Colle.

Troupes qui étaient destinées pour la Valteline et qui vont en Italie :

Recrues et compagnies d'augmentation :
de Canisy,
de Montausier,
de Lèques ;

Régiments :
La Baulme,
Puits Saint-Martin.

J'approuve le contenu de ce Mémoire : DES NOYERS.

peditumque, nostro exercitui detractæ, præesse posset. Ita, disjectis viribus, mutuaque diffidentia, magis ac magis arduum erat audax adversus Mediolanum facinus aggredi.

A. d. xv cal. jun., quum Italicæ copiæ ex hibernis educuntur, quo prius pergendum sit etiam tum inter sese duces discordant. Postulanti enim Parmensi duci, ut, perruptis hostium vallis, Placentinum agrum invadant, obnititur summa pertinacia Amadæus, existimans trans Padum per ripas adversi Ticini Rohanio obviam eundum esse. Litigantes copiarum distractione sedantur ; dumque pars equitum et peditum cum Parmensi duce Hispanorum munitiones obsidet, cæteri cum duce Sabaudiæ iter ad Ticinum amnem dirigunt. Flumine trajecto, præsidiisque aliquot expugnatis, cum hispanici exercitus robore apud Buffaloram magna cæde et ancipiti marte concursum est. Hispani quidem loco cedere coacti sunt, sed copiæ nostræ adeo fuerunt accisæ ut longius progredi nequaquam potuerint.

Rohanium tunc certiorem facit dux Sabaudiæ se utramque ripam Ticini tenere atque ibi eum expectare. Rohanius vero qui, uno eodemque tempore, legionibus eductis, Girolam et Lecco præoccupaverat, trans lacum Larium cum copiis se iter facere posse negabat[1]. Pollicitus quidem erat antea se usque ad Ticinum processurum, ea vero lege ut militibus, commeatu machinisque reficeretur. Ex supple-

[1] Dux Sabaudiæ Rohanio a. d. iv, cal. jul. MDCXXXVI — cui Rohanius prid. non. jul. respondet : « Si Canisy n'avait emmené malgré moi la moitié de mes troupes vers V. A. je pourrais plus facilement la joindre sans perdre la Valteline. » — Et, eodem die, legato nostro apud Sabaudiæ ducem : « Je n'ai jamais proposé le passage du Tessin que pour venir se rendre maître de Lecco et de Côme, c'est-à-dire de tout le lac et trouve bien étrange qu'une armée de 25,000 hommes avec une artillerie à qui rien ne manque fasse difficulté de faire dix ou douze lieues en plaine et n'ayant nulle rivière à traverser, et veuille que moi, avec 5 ou 6000 hommes, sans canon, passe des lacs et des rivières ingayables et des montagnes inaccessibles, fasse dix journées pour aller vous joindre. Jugez si j'ai ou non raison. Je ne manquerai pas d'exécuter ponctuellement ce que j'ai écrit par Entremeaux et de retourner encore au même lieu quand M. de Savoie me l'ordonnera. C'est en un mot tout ce que je puis faire ne pouvant abandonner la Valteline en un temps où tous les Grisons se soulèvent contre moi. » (Aff. Etr. *Fonds Turin.*)

mentis autem Valli Tellinæ destinatis, pars dimidia, Canisio duce, in Italiam missa fuerat; Helvetiorum Rhætorumque legiones, conscriptæ ut in Valle militarent, ab irruptione in Mediolanensem agrum abhorrebant. Duci Rohanio VIII dierum cibariis omnino opus erat ut ad Ticinum perveniret, nummique quibus emerentur deficiebant. Frumentatores, qui ab Helvetiis Venetisque frumenta importabant, postquam debita non exsolvebantur, novas pactiones conficere abnuebant[1]. Machinas ne ad quatienda quidem Hispanorum castella Lario lacui adjacentia Rohanius habebat, nedum per apertos campos, inter hostium bene instructa agmina, certo cum suorum detrimento velut inermis procedere posset. Itaque Dux, jam animo deficiens, cum reputaret quam parum sua unius cura atque industria posset, et quum inopia ærarii tum eorum a quibus curabatur ærarium malitia impeditus, jam ut sibi abire liceret efflagitabat[2], dolore quodam et præsumptione malorum quæ sanare nullo modo poterat.

Quod si igitur non Rohanii culpa res male cessit, num vere dici potest Sabaudiæ ducis vitio inane inceptum evasisse? Tanta fuerat apud Buffaloram strages ut in prœlio amplius tria millia et quingenti milites desiderati fuissent. Debilitatæ igitur et perturbatæ copiæ erant quas insuper pestilentia, æstu fervido et gravitate cœli orta, extenuabat. Quumque huic exercitui cibaria quoque deessent,

---

[1] Lasnerius Ricelio a. d. V. cal. mai. : « Les munitionnaires refusent au 1er mai de contracter de nouveaux marchés de sorte qu'il faut que je devienne munitionnaire avec grande difficulté de trouver des blés du côté de l'Italie, le passage de la République étant fermé, MM. de Zurich ne voulant plus permettre la traite, et difficulté grande au duché de Bourgogne. » (Aff. Etr. *Grisons.*)

[2] Rohanius Ricelio a. d. V. cal. mai : « Il faut que je périsse avec mon armée qui a bien servi. » Idem a. d. VI cal. mai. : « Ce n'est nul mécontentement qui me fait demander mon congé vous ayant trop d'obligation pour songer seulement à en avoir jamais, mais parce que je me vois inutile au service du Roi et au vôtre et à la veille de perdre l'honneur et tout ce pays. » (Aff. Etr. *Grisons.*)

in summa rei frumentariæ inopia[1], alii alio a signis milites populabundi dilabebantur. Ita, in Italia haud secus atque in Valle Tellina, ex eodem fonte eadem mala fluxerant. Inde apud Regis ministros querimoniæ, quæ a Crequiaco, ab Amadæo duce aut gallico legato enuntiatæ, de omnium rerum penuria plane consentiunt. Quibus malis ita fractus est exercitus ut non solum Rohanio obviam ire, sed ne Ticinum quidem præsidiis occupare potuerit. Mox, Hispanis qui ex integro recreati erant a tergo instantibus, dux Sabaudiæ, ne morando diutius propria oppida in discrimen adduceret, abitum parat, et, ad finem jul. mensis, in loca munita eos qui prœliis, morbo, fugæ supererant distribui jubet.

Gravibus interea jurgiis Vallis Tellina domi laborabat ita ut ab externis rebus Rohanius distraheretur. Qui, ancipiti animo, inter Vallitellinates sub Hispanorum patrocinio et clientela pactis Monsonianis adstricte devinctos Rhætosque iisdem pactis infensissimos jactabatur. Cui flectere tentanti respondebant Vallitellinates cum Leganeso, mediolanensi procuratore, conspirantes, non sui juris esse ea rescindere aut immutare quæ ab utroque rege constituta et rata vigerent[2].

Rhæti autem haud iniquum esse arbitrabantur dominium cæteraque jura sibi in integrum restitui quibus ante seditiones, an. MDCXVII pro religione motas, secure usi erant. Quæ quidem a Rohanio non sine temperamento et mutatione aliqua concedi poterant.

Huic enim a Rege ministrisque futura pacta delinean-

---

1 Ex epist. legati nostri ap. Sab. ducem, a. d. III id. jan. MDCXXXVI : «On sçaura que cette armée icy est sans un teston et que si l'on n'envoie dans ce mois-cy ce qui est porté dans le mémoire de M. de Grave, que l'on tienne cette armée perdue! La nécessité fait que nous n'osons châtier les soldats. Ils vont à la picorée à plus de trois ou quatre lieues de nous. (Aff. Etr. *Fonds Turin*).

2 Lavizari, *Storia della Valtellina*, vol. II, p. CCXXVII : « Non esser liberi di venire a trattato alcuno contre il capitolato di Monzone, gia solennemente approvato e dalle due Corone e da' populi della Valle. »

tibus, præceptum erat ne de religione et justitia a Monsoniano fœdere descisceret. Cætera autem jura accuratius expressa et definita his populis restituenda erant.

Regiæ voluntati sedulo Dux obsecutus est. Post aliquot occulta aut publica conventicula, alios eloquentia, promissis et astutia alios, alios ære dato singillatim adortus, ineunte mense apr. MDCXXXVI, in urbe Tosana communi concilio habito, cum Rhætis et Vallitellinatibus pactionem tandem fecit cujus hæ præcipuæ conditiones fuerunt :

Vallis Tellinæ et utriusque comitatus (Bormiensis et Clavennensis) incolæ Rhætos agnoscunt veros, naturales summosque dominos quibus jurejurando dant fidem, quorum in sola potestate est pacem aut bellum facere, societates inire, Alpium claustra recludere aut occludere, æs facere aut signare, indicere et exigere tributa qualiacumque sint[1].

Solus religionis catholicæ cultus in his regionibus celebrari potest. Licet tamen hæretici, quibus ibi prædia sunt, ibi habitent ut bonis suis fruantur aut ea catholicis æquo pretio vendant.

De judicatu quum civili tum criminali, a Rhætis proponuntur tres Vallitellinates pro quoque judicis munere, inter quos unus in vallitellinensi concilio eligitur, et is quidem magistratum initurus in verba Rhætorum jurat. Interdicitur ne quid a Vallitellinatibus ex veteribus legibus et majorum institutis mutari possit.

Rhætis datur unum aut duos procuratores in hanc regionem mittere qui judicibus eligendis præsint, vectigalia colligant et servandis dominii juribus consulant. Controversiæ, si quæ unquam surgant, a duobus inter utramque partem delectis arbitris sine appellatione disceptari debent, gallico legato medium se interponente.

Vallitellinates præterea maxima tributa pendere coge-

[1] *Die eidgenossischen abschiede.*

bantur unde faciliores in paciscendo Rhæti facti erant[1].

Rex denique spondebat sese effecturum ut hæ conditiones, etiam armorum vi, inter pacta generalia futuræ pacis insererentur.

Ita unus e clarissimis gallicorum hæreticorum principibus adeo regiæ voluntati obnoxius evaserat ut catholicis Vallitellinatibus supra spes favisset, non sine amicorum suorum detrimento aut querimoniis. Quod fœdus Rhæti, etsi moleste ferentes, ea tamen lege acceperant ut a Rege ex integro acceptum et ratum esset et futuris pactionibus corroboratum[2].

Illæ autem conditiones Regi et ministris ejus etiam tum hæreticis nimis benignæ esse videntur. Parum est quod reformatæ religionis cultus in Valle negatur : reformatos, id est Rhætos pæne omnes, inde exsulare placuerat. Ex Ricelii cardinalis sententia his solummodo concedenda est duorum mensium in Valle commoratio ut prædiorum fructus percipiant. A judicum electione Rhæti omnes arcendi sunt. De procuratoribus in Vallem mittendis, censet hos inter catholicos eligendos esse, neque eos ibi amplius duos menses

---

[1] Ex art. IV hujus fœderis : « Que lesdits habitants catholiques de ladite Valteline et comtés obtenant par le traité l'administration de la justice, tant en matière civile qu'en matière criminelle, en reconnaissance de ce privilège, paieront auxdits seigneurs des trois Ligues pour les arrérages du passé jusqu'à la conclusion du présent traité la somme de 80,000 liv. tournois, monnaie de France, savoir 60,000 liv. comptant et les 20.000 restant un an après le traité et la conclusion d'une paix générale entre les deux couronnes ; et depuis la conclusion jusques à ladite paix ou trêve d'iceluy d'un an ou au-delà, 15,000 écus par chacun an ; et depuis ladite paix ou trêve d'un an ou au-delà, paieront à l'advenir auxdits seigneurs des trois Ligues 25,000 écus par chacun an de 24 batz l'écu, selon le cours et l'usage de Coire, sur quoi sera prélevée la pension de l'évêque. Faute de consigner à la Saint-Jean les 25,000 écus, les Valtelins y seront exhortés, et, deux mois après ce terme, suspendus, et le quatrième mois déchus de ladite administration accordée par le présent traité, retournant au premier état ou ils étaient en 1617. » (*Eid. absch.*)

[2] Ita fœdus ratum habent Rhæti : « Nous, chefs et députés de la part des Trois Ligues... devons retenir ces articles aux conditions et dépendances qui s'ensuivent, c'est assavoir si par l'autorité de S.M.T.C. ces articles sont compris dans le traité général de paix sans qu'ils soient en aucune façon amoindris ni énervés mais retenus en leur entier... que si, en la moindre chose que ce soit, on voulait aller à l'encontre, nous déclarons que par cette notre ratification nous ne voulons rien diminuer de nos droits, etc... (*Eid. absch.*)

quotannis commorari debere. Displicebat item Regem, qualicumque modo, in futuram pacem obligari. Bulionius minime a Monsonianis pactis deflectendum esse arbitrabatur, aut, Cardinalis sententiæ obsequens, conditiones exigi jubebat quæ catholicis magis etiam faverent. Ita, Summi Pontificis rebus indulgentes, a se Rhætorum animos avertebant, nequaquam autem Vallitellinates sibi conciliabant.

Cujus fœderis ratihabitionem dum Rex ministrique Rohanio et Lasnerio instantibus[1] concedere negant, Hispani et Cæsariani, diversis consiliis, et spreto aliquantisper Monsoniano fœdere, negligebant Vallitellinatum utilitatem et promissis Rhætos pelliciebant.

Hi, cum archiducibus austriacis (sub quorum fide et clientela prædia habebant aliquot Tyrolensi agro adjacentia), ab anno MDXVIII perpetuo pacto juncti erant. Ubi primum a Gallis Vallis Tellina occupata erat, legationem miserant Rhæti ad Claudiam, Ænipontis archiducissam, asseverantes vetera pacta a se observatum iri; frustraque Rohanius erat obnixus ut rhæticas legiones in Tyrolem infestis signis secum educeret. Claudia, inter Cæsarianos Rhætos Hispanosque media, ad res nectendas occulte molitur. E suis unum familiarem mittit cum Rhætorum legatis collocuturum; qui, per speciem antiqui fœderis corroborandi, quomodo Gallos ejiciant machinantur[2].

In dies interea crescit omnium rerum penuria, quod quidem procliviores etiam animos insidiis atque aures « hispanicis sirenibus[3] » magis obnoxias facit.

Apud helveticas rhæticasque legiones tribuni et centuriones ad extremam desperationem adducuntur. Pecuniæ

---

1 Lasnerius Ricelio a. d. VI. id. mai. MDCXXXVI : « Nous attendons avec impatience la ratification de S.M. avec l'argent qui y est nécessaire tant pour ce traite que pour notre armée qui reçoit un grand affaiblissement par l'éloignement des recrues. » (Aff. Etr. *Grisons.*)

2 Sprecher, p. CLXXXXVIII.

3 *Grotii Epist.* — Sprechero a. d. XVI. cal. jun. MDCXXXVI.

stipendio destinatæ vel in itinere morantur, vel, ex rhenis quibus continentur prælibatæ, deminuuntur, neque jam habent duces unde frumentatores exsolvant[1]. Ita ad vivendum usurpare Rohanius cogitur æs castellis, machinis stipendiisque destinatum. Lasnerii epistolis sæpe Cardinalis admonetur ut, ad hispanicam fraudem evertendam, rata pacta mittat exsolvatque pecunias, a Vallitellinatibus Rhætis debitas, et quas in antecessum de nostro ærario dandas susceperamus[2].

Quin etiam, primus in gallicis copiis animorum motus exstitit, eoque miseriæ processum ut ex minis milites ad apertam seditionem venirent. Etenim, pridie id. jun. noctu conjurant ex quinque nostris legionibus aliquot milites ut, in unum Trahonnæ conglobati, Lasnerio manum injiciant cæterisque pecuniarum custodibus, eas vi extorqueant, et in Vallem Sasinam Hispanis se traditurí confugiant. Alii autem a ducibus in officio retenti, alii, multis suorum amissis, orta luce dilapsi sunt.

Quod ad Rhætos attinet, tribunis centurionibusque, magis ac magis de stipendiis debitis querentibus, a Rege propositum erat, pro summa nummorum inopia, ea syngraphis vel sale persolvere qua re tum Helvetia Rhætiaque carebant. Illi autem duces, eo magis impatientes moræ quod milites sui nec sale nec chartis vescerentur, ad primores

---

[1] Rohanius Regi ministrisque : « Les deux défauts proviennent de ce que MM. les surintendants n'envoient jamais l'argent de la monstre suivant l'extrait des commissaires et des contrôleurs, mais selon ce qu'ils se persuadent qu'on peut être de monde, tellement qu'il y toujours manque de fonds pour plus de 2000 soldats à chaque monstre; l'autre qu'on n'envoie que 20.000 l. de fonds par mois pour le pain et qu'il en faut 53,000 environ. » (Vid. Zurlauben, passim.)

[2] Lasnerius Cardinali a. d. VII. id. jun. MDCXXXVI : « Les pratiques des ennemis continuent parmi les Grisons à quoi nous ne pouvons remédier sans argent et particulièrement les 60,000 l. portées par le traité de Chiavenne, le paiement des montres qui leur sont dues et quelques parties de leurs pensions. C'est qu'ils ne cherchent qu'occasions de mécontentement par leur humeur changeante et les intérêts pécuniaires que les Espagnols font paraître pour traverser l'exécution de ce traité. » (Aff. Etr. *Grisons.*)

civitatis suæ sese vertunt, a quibus Cardinali renuntiatur rhæticas copias non diutius sub signis permansuras ni solidum suum unicuique post exactum mensem solvatur. Quæ quo magis valeant, Molina, quidam e tribunis, mittitur ad aulam extrema malis remedia efflagitaturus.

Interim, ærumnis discruciatus, quum evolveret exercitum pestilentia, fame laborantem, præsidia non munita, exsiccatas nummis arcas, labefactantes socios quibus nec rata pacta nec pecuniæ deferri possent, quum frustra Ricelium imploraret ut ad Venetos se recipere daretur ne adesset imminenti cladi cui avertendæ esset impar, quum ærarii procuratorum aures irritis querelis obtunderet, effractis corporis animique viribus, gravem morbum nactus est; quumque rumor ejus exitii per Mediolanensem agrum vulgaretur[1], Hispani, publicam lætitiam ostentantes, luminibus festis, machinarum tonitru, omni denique feriarum apparatu hanc veluti victoriam celebrarunt. Etenim tanti viri morte Vallem Tellinam armis eorum et insidiis patere satis manifestum erat.

[1] Lasnerius Ricelio a. d. VII. id. sept. MDCXXXVI : « Il a été tenu mort dans l'Etat de Venise et particulièrement dans le Milanais où pour cela ils ont fait les feux de joie et tiré le canon. » (Aff. Etr. *Grisons.*)

CAPUT VI

Deficientibus ad stipendia pecuniis, rhætici tribuni centurionesque a signis desciscunt. — Rohanii cum Lasnerio contentiones. — Lasnerius magistratu dejectus. — Rhætorum cum Hispanis clandestina consilia. — De pactis Œnipontanis. — Seditio occulte paratur. — Rohanius, ne deprehendatur, in Gallicum castellum se recipit. — Helvetii sese interponunt. — Dux de copiarum excessu paciscitur.

Molinam benignis verbis exceptum ministri Regis dimiserant pollicendo se $\overline{\text{cxxx}}$ libr. quam citissime exsoluturos. Decreverant item, quo minor sumptus esset in Valle Tellina, equestres inde copias ad Parmensem ducem mitti, utque militarium impensarum rationes, dubiæ vel fraude tractantium adulteratæ, sedulo subscriberentur et expungerentur, Colbertum quemdam eo delegaverant[1], cum $\overline{\text{xxxvi}}$ libr. ad machinas emendas destinatis. Nil a Colberto contra Rohanii integritatem repertum. Equitatus vero in Valle remansit quia defuerunt $\overline{\text{xii}}$ libr. ad hujus transitum necessaria.

Dein, de $\overline{\text{cxxx}}$ lib. Molinæ promissis ex Gallia tantum CM missa sunt de quibus detraxit etiam Lasnerius eam partem quæ legionibus helveticis debebatur, ita ut ægre inter tribunos Rhætorum centurionesque $\overline{\text{xxxv}}$ libr. distributa sint.

Qua nova fidei violatione exacerbati, quum jam antea

---

[1] *Commission donnée au sieur Colbert le I[er] août* 1636. (D.G.cart.28 n° 361).

jurejurando se obstrinxissent, pronuntiantes se cal. oct. nisi stipendia exsolverentur a signis discessuros, spreta negataque Rohanii auctoritate, præsidia quæ versus Tyrolensem agrum tenebant deserunt. Curiam urbem et saltus quibus a Rhætia ad Vallem Tellinam iter est cum armatis occupant, ita ut non jam a Cæsarianis se suaque defendant sed a gallicarum legionum impetu quæ Vallitellinatum castella tuebantur. Soli, inter rhæticos tribunos Salis et Brucker, a plerisque suis militibus derelicti, in Clavennensi comitatu amicitiam et fidem nostram retinuerant.

Quæ ubi cognita sunt, quum apud Sondrium, gravatus morbo, semianimis elanguesceret Rohanius, Priolus, hujus a secretis, Lasneriusque Curiam se conferunt, si qua seditiosos mitigare possint. Rebellantibus prior $\overline{\text{XVIII}}$ libr. de suo cum precibus proponit. Lasnerius vero, feroci oratione et minitabundus, iis verbis utitur quibus liberorum hominum aures non offendi non poterant. Expositis enim Regis potentia, viribus copiisque, dicere ausus est eum istius injuriæ ultionem vel in urbe Curia repetiturum quibus etiam adjecit : « *Super ventres vestros ambulabimus*[1]. » His foras delatis et adhuc exulceratis, eo magis animi exarserunt quo eodem tempore eos Hispani blandiendo dandoque magis alliciebant.

Vix refocillatus, Rohanius Curiam adit et aggreditur tribunos militum primoresque civitatis, eos præcipue quos a longinquo sibi conciliaverat, pollicitando se mox a Rege rata et integra pacta allaturum, et, de decies centenis millibus libr. Rhætis debitis, se $\overline{\text{CCLX}}$ intra quinque hebdomades persoluturum[2].

---

[1] Sprecher, p. CCIV.

[2] Rex Rohanio a. d. V. cal. nov. MDCXXXVI : « Je n'ai pas cessé de recommander incontinent aux surintendants de mes finances de vous envoyer jusqu'à 200,000 l. de mon épargne à quoi mon cousin le cardinal de Richelieu ajoute 60,000 l. de son argent. » (D.G.cart.30 nº 214.)

Ipsi Regis ministri, seditione nuntiata, quanquam obsidione Corbeiæ tum inhibebantur, $\overline{\text{cc}}$ libr. mittunt quibus cardinalis Ricelius $\overline{\text{lx}}$ de privata pecunia adjecit. Mittitur simul ratum fœderis apud Tosanam pacti instrumentum quod Rex tandem fine oct. subscripserat.

Advectis autem nummis, quo adhibeantur modo inter Rohanium Lasneriumque oritur contentio : Hic enim volebat aliquam eorum partem seponi qua persolverentur frumentatores, allicerenturque principes rhæticarum Communitatum ne in conventu generali ratis pactis obstarent. Rohanius contra pecuniam ad id solum missam affirmabat ut seditio placaretur quæ omnino militaris esset. Quod si, ære dato, tribunos centurionesque jam sibi revinciret, persuasum habebat se, militum armis et auxilio fretum, res forenses et domesticas breviter compositurum. Addebat ita a se aulicis mandatis obtemperatum iri quibus omnis placationis labor in sua fide et industria repositus esset.

Lasnerio mandat ideo, jussu ab se subscripto, ut ante omnia $\overline{\text{cxxx}}$ libr. ex ærario tribunis centurionibusque tradantur, et, Lasnerio reluctante, ad extrema grassatus, satellites mittit qui arcas nummarias vi effringant [1] et militum ducibus debitam pecuniam numerent ; ipsum a magistratu quem regali beneficio erat adeptus proprio Dux arbitrio removet [2].

---

1 Aff. Etr. *Grisons* : « *Procès-verbal relatant la violence faite au trésorier par un lieutenant et quatre gardes de M. de Rohan qui ont fait rompre les vaisseaux renfermant* 10,000 *pistoles d'Espagne* (100,000 *l.*) *plus* 24,960 *l. et comment par suite il n'y a pas un sol pour la subsistance.* »

2 « Attendu son refus, avons fait et faisons défense au sieur Le Cormier, commis du Trésorier général des Ligues des Suisses et des Grisons, faisant le paiement de cette armée de ne faire viser dorénavant par iceluy sieur Lasnier aucune dépense de ladite armée à commencer d'aujourd hui ni même lui donner connaissance d'icelle jusques à tant qu'il en ait été ordonné autrement par S. M., au sujet et à faute de ce faire déclarons dès à présent lesdites ordonnances nulles et de nul effect comme de choses non faites et non advenues. Rohan. » (Aff. étr. *Grisons*, a. d. XVI cal. jan. MDCXXXVI).

Lasnerius quidem, quem Rhæti procuratorem moleste ferebant, Regis jussu, fine dec., in Galliam revocatus est. Is autem Ricelii cliens, qui usque adeo vivide consilia actaque Rohanii in Valle Tellina laudaverat, studio in odium verso, iras eorum qui Duci jam iniqui erant exacuit.

Animi vero Rhætorum ita jam erant a nostra societate abalienati et Hispanorum largitionibus capti ut, iis quas exsolvebat Rohanius pecuniis parum contenti, debita omnia atque pensionem ipsam sibi integram exsolvi efflagitaverint. Quod si videntur adhuc moram ullam admittere, nil aliud sibi proponunt quam ut, Ducem verbis et fucoso officio quasi lactantes, licentius cum hostibus nostris paciscantur.

Inter principes conjurationis, rhætus quidam, nomine Jenatsch, tribunus militum, dolis et astutia conspiciebatur[1]. Qui, obscuro loco ortus, collegarumque Salicii et Bruckerii nobilitati simul ac rei invidens, idem et ab hæreticorum ritu ad catholicam religionem conversus, dominandi et habendi cupiditatem per Hispanos explere conatus est. Duplici ingenio, simulandi ac dissimulandi bene gnarus, pariter aptus ad res novas moliendas et ad animum Rohanii ab omni suspicione relaxandum, eum ita ludibrio habuit ut, quum jam apud Œnipontem cum Hispanis pacta et transacta res omnis esset, conditiones ab iisdem rejectas et negotia ad pacem generalem dilata ei facile persuaserit.

Quæ tamen, conniventia eorum qui rhæticis Fœderibus præerant, nimis bene Jenatsch perfecerat. Qui, cum a Rhætis apud Ilanz in concilio congregatis agendi tractandique facultatem obtinuisset, Œnipontem petierat cum duobus rerum adjutoribus sibi additis, atque ibi, per Claudiam

---

[1] Zurlauben, *Mém. de Rohan* l. IV, p. CCLXXXVI.

archiducissam, cum duce Frederico Enriquez, hispanici regis procuratore, collocutus erat [1].

A. d. XVI cal. feb. (anno MDCXXXVII) hæ conditiones perpetuæ et hereditariæ societatis inter Tria Fœdera et Hispanorum regem communi consensu constituuntur :

Pacta monsoniana (in præsentia scilicet) repudiantes, rebusque Vallitellinatum posthabitis, Hispani declarabant se cum Rhætis pacisci eadem lege qua cum catholicis pagis usi erant, anno MDCXXXIV, profitentes se nullo modo velle rerum publicarum vel privatarum administrationis participes esse; atque ita jam penes Rhætos summa rhæticarum rerum cura est [2].

Intra mediolanensem et rhæticum agrum eundi abeundique jus idem et emendi vendendique, libero popularium arbitrio, conceditur. Idque eo magis Rhætis cordi erat quod, regione frugibus iniqua, annonaque pauciore quam ut alerentur, a mediolanensibus nundinis res necessarias accipere solebant.

Quod ad rem militarem attinet, licet per Mediolanesum transeant Rhætorum copiæ, ut alius cujuslibet principis stipendia mereant, dummodo, mutuo et pari officio, Hispanorum rex, ad suas defendendas aut servandas provincias, per saltus rhæticos seu rhæticæ ditionis, pedites equitesque possit cum sarcinis et commeatibus immittere.

Pollicetur item rex Hispanorum se inter Rhætos duo vel tria millia armatorum delecturum sumptibus suis stipendiata et omnibus rebus bello necessariis instructa. Quo melius autem in præsentia rem gerant, tria millia peditum et centum equites vel etiam pars major, si res exegerit, hispanico ære sustentati, ad transitus occupandos conscribi debent, quibus, si forte bellum in Rhætia motum fuerit, adjuncturus

---

[1] Romegialli, *Storia della Valtellina*, v. III, p. CDXXXIX.

[2] Vide *Eidg. Absch.* Fœdus apud Œnipontem ictum, a. II.

est intra xv dies mediolanensis procurator duo millia moschetariorum equitesque ducentos cum machinis, nisi forte præoptent Rhæti decem millia scutorum, singulis mensibus pensata.

Utrique parti interdicitur ne, bello moto, concedatur transitus copiis qualiscumque principis vel civitatis a quibus lædi posset alteruter confœderatorum[1].

De castellis vel servandis vel solo æquandis Rhætorum ex arbitrio est : ea si servare volunt, ab Hispanis expetere possunt unde ea machinis et omnibus rebus instruant, nova autem si exstruere meditantur, prius necesse est archiducissa Œnipontis et Hispanorum rex de proposito præmoneantur.

Rex idem communi Fœderum societati mille et quingenta scuta donat. Licet etiam regali impensa aliquot Rhætorum adolescentes Papiam vel Mediolanum immitti qui liberalibus artibus instruantur.

Etsi nil mutatur de diversis pactis a Rhætis cum aliis gentibus constitutis, vetus horum cum Gallis fœdus non modo non renovari debet, verum etiam, durante inter Galliam Hispaniamque bello, pro infecto haberi.

Nil de Rhætorum cum Vallitellinatibus jurgiis constitutum erat præter quod hispanici regis munere et arbitrio componenda essent. Hoc sane fœderis articulo, cætera irrita fore, seque facillime ea quæ concessissent revocaturos Hispani sperabant.

Quod fœdus ut valeat, Rhæti Hispanique quomodo citius Gallos ejiciant inter se consulunt. In secreta parte conventionis addunt Hispani se Florino cuidam, rhæticarum legionum tribuno, $\overline{\text{xx}}$ ducatorum Bellinzonæ pensuros unde tria millia Rhætorum armis et commeatu muniat. Sex

[1] Ex eodem fœdere, a. XVI.

autem rhæticæ legiones quæ jam signa nostra deseruerant, præterita stipendia, a cal. nov. (anno MDCXXXVI), Gallis expulsis, recepturæ erant. Ea quo facilius fierent, Hispani quæcumque rebellantibus erant necessaria partim Bellinzonæ partim Gutembergi colligenda susceperant. Ut nostræ copiæ in Valle Tellina impeditæ a Rhætorum finibus distinerentur, Hispani a Mediolanensi agro educere parabant armatorum manum quæ jamjam Vallem aggressura esset. Dona denique militaria, pecuniæ et alia virtutis præmia proponebantur si qui contra Gallos fide aut audacia insigni eminerent.

Talibus ideo pactis, contumelias omnes quas a nobis Rhæti acceperant Hispani abolere tentaverant. Rhætis imperium omne in Valle Tellina videbatur concessum, et omnia dominii jura, toties sibi negata, jam in manu habere crediderunt.

Jenatsch, Curiam regressus, in consilio Rhætorum rem summa ope taceri jubet, et fallacibus verbis Rohanium illudit haud secus ac si Hispanos iniquos aut segnes et pactis monsonianis magis ac magis adhærentes expertus esset[1]. Imo dicitur Ducem, ex alia parte, de quibusdam hujus fœderis conditionibus admonitum, eas illi acerbe objurgasse et illud responsum ab Jenatsch accepisse « contemnere se istiusmodi fabulas ab inimicorum malevolentia ortas. »

Ineunte mense febr. (anno MDCXXXVII), primores Rhætorum Rohanius in concilium vocat ut eos faciat certiores rata esse a Gallorum rege pacta quæ apud Tosanam constituta erant. Quum autem pecuniæ in his inscriptæ etiam tum desint, Rhæti, nil præ se ferentes de fœdere cum Hispanis apud Œnipontem inito, post omnigenas cunctationes et moras, vix tandem declarant sibi colligendas esse uniuscujusque Communitatis sententias, legatosque designandos

1 Sprecher, p. CCXIV.

qui in possessionem Vallis Tellinæ veniant. Litteras mittunt ad Regem quibus, priusquam conditiones pactorum exsequantur, nummos annuos expostulant qui privatim et publice ministrari sibi solent, emeritaque et debita tribunorum stipendia. Revera extremas tantum moras agitant donec ab Imperatore subscriptum Œnipontis fœdus recipiant, donec audiant a mediolanensi procuratore paratas esse copias ad fines Vallis invadendos, donec sibi denique helveticos pagos concilient, hæreticos imprimis quos precibus blanditiisque Rhæti circumveniunt dum catholicos Hispani donis in vetere fœderum fide retinent; omnes enim Helvetii, quæcumque religio erat, pariter tum a rebus nostris abhorrebant[1]. Porro, ægre ferunt bellum a nobis eodem tempore inceptum in Libero-Comitatu, sibi antiqua societate conjuncto, et plerisque copiis apud se conscriptis et in Galliam abductis non accuratius quam in Rhætia debitas exsolvi pecunias. Bernenses præterea et Solothurienses legiones sine stipendio dimissæ erant, et earum tribuni centurionesque, in pagis auctoritate prævalentes, contra nos iras popularium acuebant. Nequaquam igitur dubium est quin parati eo tempore fuerint Helvetii ad aures querelis Rhætorum accommodandas quum ab his efflagitati sunt ut transitus omnes a Gallia nostris militibus occluderent.

Quæ a Rohanio cognita brevi Regi per litteras deferuntur, quumque Rex de hac diffidentia et malignitate apud Rhætos queritur, respondent, gliscente audacia, satis gallicarum copiarum apud se adesse ad Vallem tutandam, sibique præcavendum esse, ne ex atrocibus Lasnerii minis[2],

---

[1] (Aff. Etr. — *Fonds des Suisses.*) passim.

[2] Principes Trium Fœderum Regi : « ... Et afin que V. M. soit advertie que les motifs et deportements dudit sieur ambassadeur Lasnier n'a pas été la moindre cause que nous ayons sollicité pour fermer les passages et que V.M. sache qu'il a laissé entendre qu'il ferait trancher la teste à nos chefs avec des paroles ignominieuses et des menaces insupportables, ayant par le mauvais traitement et payement contraint les colonels et capitaines de notre nation de

suo suæque civitatis damno, frequentiores milites Rhætiam ingrediantur.

Omnibus denique comparatis, quum ab Helvetia, tum ab agro Mediolanensi vel Tyrolensi, quum jam in eo essent Rhæti ut quam citissime ex utraque parte adjuvari possent, allatoque insuper nuntio Parmensem ducem a partibus nostris defecisse et cum Hispanis rediisse, tum demum, exuta omni simulatione, ad apertos tumultus grassantur.

Spretis promissis quibus spoponderant se usque ad cal. mai. exspectaturos dum sibi Rex postulantibus satisfecisset, Rohanio manum injicere moliuntur, et, repentino impetu, expugnare castellum Gallicum[1] quo Rheni transitu Cæsariani prohibebantur.

Duci forte ab hoc castello Curiam versus tendenti quidam ex conjuratis, progressi ut eum deprehendant, obviam eunt. Rohanius autem, de periculo certior factus, retro, unde profectus erat, rediit, seque in castellum recepit. Quumque id a Gallis ducentis tantum defensum videt, celeriter unam ex helveticis legionibus introducit, quo acrius vi et armis se tueatur.

Rhætorum tunc primores velut signo dato, trepidare, nuntios per agros et urbes mittere quibus juvenes arma capessere subque signis tribunorum coire jubentur. Rhætis tandem palam enuntiantur fœderis Œnipontani conditiones, quibus, hispanico sumptu, stipendia, commeatus cæteraque militiæ emolumenta rebellantibus constituuntur ; mandata dantur aliis ut præoccupent saltus a Valle Tellina, ne quis

---

quitter le service de V. M., les menaçant qu'il leur passerait sur le ventre et persécuterait jusqu'à l'extrémité, comme aussi menacé de venir avec l'armée et milice française planter la pique au milieu de Coyre, et pour ce exécuter qu'il avait encore d'autres secours de France pour les exterminer et tous ceux qui se mettraient de leur parti et plusieurs autres paroles et menaces insupportables. » (Aff. Etr. *Grisons*, mense mart. MDCXXXVII.)

[1] Gallice « Fort de France ».

aditus esset ad Rohanium ex gallicis copiis quæ, legato Lecco imperante, per diversa præsidia distributæ erant, aliis autem ut pontem rhenanum, situm haud procul a Gallico castello, insideant Cæsarianorum auxilia exspectaturi, Rohaniumque simul armatorum manu circumsepturi.

Helveticæ legionis interea tribunum, nomine Schmidt, qui, a Duce advocatus ex improviso, in castello æque circumclaudebatur, multis modis sollicitant ut sibi castelli portas per proditionem aperiat. Quum vero hæc legio in pago Tigurino conscripta esset, Schmidt castellum tradere negat nisi prius Tiguri primores huic deditioni assensi fuerint. Significat tamen nihil a se suisve contra Rhætos tentatum iri. Hi autem, eo ipso die, a Tigurini pagi primoribus efflagitaverant ut milites a Rhætia revocarent.

Consensu pagorum Tiguri Glaronæque placuit ut legati mitterentur qui inter Rhætos Rohaniumque intercederent[1]. A Rhætis primum rogant ut res eodem statu quo prius usque ad helveticorum pagorum conventum maneant qui in finem mart. indictus erat. Quum vero apud Rhætos omnia in vanum tentassent, ad Rohanium conversi, admonent ut, in modum depositi, helvetico tribuno castellum committat, quod tribuni ditionis reipsa tum esset quandoquidem sola fere Tigurinorum legione defenderetur.

His ubi Rohanius obsecutus est, Curiæ, captivi more, custoditus, a Vallis Tellinæ copiis semotus, quibus instabant et Serbellonis hispanicæ vires jam ad Colicum progressæ, et germanica agmina non longe a rhenano ponte ut Rhætis præsto essent ordinata, ad id desperationis adducitur ut a. d. VII cal. apr. cum seditiosis, Regis nomine, hanc ineat pactionem tam vivide sibi exprobratam, cujus hæc fere summa est :

---

[1] « E chiedevano non solo come interpositori, ma come padroni di far condiscendere Roano a piacere loro, per mezzo delle truppe de' Cantoni che guardavano i forti. » Lavizari, t. II, p. CCCXLII.

Profitentur Rhæti se memoriam beneficiorum Regis servare velle nec ab antiqua societate discessuros. Copiæ autem nostræ a. d. XII cal. mai. e castellis et valle Tellina educendæ sunt ita ut a finibus rhæticis exercitus omnis a. d. III non. mai. egressus sit.

Tribunus Tigurinæ legionis Schmidt in fidem et custodiam castellum Gallicum recipere, et, post nostrorum exitum, Rhætis continuo tradere debebat.

His pariter cætera Vallis Comitatuumque (Bormiensis et Clavennensis) castella a. d. III non. mai. tradi oportebat ea lege ut, Rhætis intercedentibus, nulla injuria a Tyrolensi aut a Mediolanensi agro veniret. Iisdem providendum erat ne quam vim a popularibus paterentur decedentes copiæ. Utque in transitu ab omni tumultu et ab insidiis Rhætia tuta foret, agmina ita distribuenda erant ut non amplius CCL milites una conglobati procederent.

Ad hoc sese jurejurando obstrinxerat Rohanius se cum parva manu commilitonum, qui et ipsi in castello versabantur, obsidem Curiæ permansurum donec pacta peracta essent, nilque moliturum unde hæc qualicumque causa impediret etiamsi contraria mandata afferrentur [2].

His conditionibus acceptis, non dubitabant Rhæti quin facile infirmaturi essent quidquid a Rege ministrisque ad retinendam Vallem Tellinam in extremis rebus tentari posset.

1 Dép. G., cart. 42, a. d. VII cal. apr. MDCXXXVII.

2 Et, ut ferebat fœdus, « non ostante alcun altro comando che cio potesse impedire. »

CAPUT VII

Seditio in regali consilio nuntiatur. — Stampesius[1], a libellis adjutor, et marescallus campi Guebrians, ad Rhætos missi, frustra nituntur omni ope ad res restituendas. — Inter Leccum et Rohanium de copiarum egressu dissidia. — Auxilia incassum a Venetis petita. — Aversi Helvetiorum animi. — Decedunt e Valle Tellina copiæ. — Rex jubet Stampesius Rohanio manum injiciat. — Ducis exsilium et mors.

Priusquam in Castello gallico clauderetur, rem sine mora denuntiarat Rohanius Meliano, nostro apud Helvetios in urbe Solothuriensi legato, cujus ex litteris tristis eventus ad Regem pervenit. In his addebat Melianus se graviter commoveri infestis helveticorum pagorum animis, magis ac magis a partibus Gallorum aversis.

Quo nuntio vehementer in consilio Regis perturbati sunt animi. Nec Ricelium fefellit gravissimum quidem id esse malum, et ægre vel extremis sanari posse remediis[2]. Quæ autem inde consequi possent maxime angebatur animo : Amissa Valle Tellina, id præcipue timendum erat ne fidem

[1] Gallice: « d'Estampes, maître des requêtes. »

[2] « L'accident qui est arrivé en la Valteline est si grand que je ne sçay si on pourra y apporter remède. Si on ne le peut, les suites en sont à craindre, bien estranges. Dieu sçait si après les Suisses ne se révolteront pas contre nous faute de paiement. Dieu sçait si ensuite l'Italie tiendra ferme. Dieu sçait de plus si après nous trouverons facilité en la paix, et M. de Bullion sçait mieux que personne s'il trouvera en Suisse des millions pour soutenir la continuation de la guerre. Ce mal est arrivé faute d'argent. » (Vid Avenel, a d. V cal. apr. MDCXXXVII).

exuerent Helvetii et a rebus nostris Itali deficerent. Quin! Exemplo Parmensis ducis inclinatus, nonne ad jungendam cum Hispanis societatem induci poterat Amadæus Sabaudiensis, qui jam prope solus partibus nostris in Italia favebat?

In his angustiis extrema experiri placuit, missaque ad Rohanium mandata quibus Vallem Tellinam Rhætis iisdem conditionibus quas cum Hispanis pepigissent offerre, atque etiam cultum et cærimonias reformatæ religionis in comitatu Clavennensi tolerare jubebatur.

Mittunt ministri regis CCM lib. et tantumdem post duos menses se missuros pollicentur. Meliano insuper traduntur CCM libr. quæ inter Helvetios distribuantur, adjecta facultate salis in Helvetiam importandi ad exsolvenda quæ adhuc debita erant. Jubetur et idem legatus noster Tigurum petere nec omittere quidquam quod res eversas restituere posset. Quod si vero nullo modo Rhæti mitigarentur, Rohanio præcipiebatur ut moras trahendo excogitaret quo pacto castella Vallitellinensia Venetis, rhætica autem Tigurini pagi primoribus traderet. Quod si res denique perditæ funditus ac desperatæ viderentur, Duci copias per helveticos pagos reducendi dabatur facultas.

Parum his contentus, Ricelius maxima celeritate demittit Stampesium quemdam, in Parisiensi Parlamento a libellis adjutorem, et marescallum campi Guebriantem cum pecuniis summaque ad agendum auctoritate. Huic epistolæ regiæ duæ imprimis creditæ erant, quarum una jubebatur Sanctus-Simo, Gallici castelli custodiæ præpositus, viriliter et acerrime contra oppugnantes se defendere; altera non minus instanti admonebatur Leccus, qui copiis in Valle Tellina præerat, ut strenui militis munus explendo, castella, ad tres menses bene munita, contra hispanicos impetus tueretur, Rohanioque, si fieri posset, succurreret.

Prius autem quam hi legati cum mandatis ab aula discessissent, Helvetiorum jam in fide, ut supra diximus, commissum erat Gallicum castellum, pactæ subscriptæque omnes conditiones erant quibus a Valle copias nostras educi oportebat.

Imo, ita arcte ab Helvetia transitus omnes custodiebantur ut legatorum neuter ad Rohanium continuo pervenire potuerit.

Guebrians prior[1], quum post longas dilationes ad Ragatz esset progressus, ibique a Rhætis longius procedere inhiberetur, admonetur a Rohanio irritum fore quidquid de restituendis rebus adoriri possit. Quod si sibi obstantia perrumperet, Rohanius affirmabat Rhætos, multo magis ejus adventu exacerbatos, ad extrema, non sine Gallorum summo periculo, venturos esse.

Misit quidem, eo ipso die, marescallus Rohanio mandata quæcumque a regali consilio sibi credita habebat; Curiam autem non a. d. VI cal. mai. ingressus est id est eo tem-

---

[1] « J'avançai le 17 jusqu'à Ragatz qui n'est qu'à 3 h. 1/2 du pont du Rhin où M. le duc de Rohan m'envoya le colonel Schmidt avec une lettre adressée au sieur Priolo, par laquelle il mande positivement que je ne dois pas passer outre et que mon arrivée en ce lieu pourrait plutôt nuire aux affaires du Roy qu'y apporter aucun advantage, joint qu'assurément la garde qui était au pont du Rhin ne me permettrait pas de passer, qu'au surplus, je pouvais prendre confiance entière au dit colonel auquel je confiai le duplicata de l'instruction de M. d'Estampes dont j'étais chargé que j'accompagnai d'une lettre par laquelle je suppliai M. le duc de tâcher par tous moyens que je pusse avoir la liberté de m'aboucher avec lui et que j'avais, outre l'instruction, choses fort importantes à lui communiquer pour le service du Roi. C'est à quoi il me fit réponse toute semblable à la lettre qu'il avait écrite à son serviteur et me l'envoya par un des officiers dudit colonel auquel il m'ordonnait de confier les lettres que je pourrais avoir pour lui ou autres qui fussent en ce pays, ce que je fis, et nonobstant ne laissai, pour ne rien omettre dans le service du Roi, de me présenter tout seul le lendemain au pont d'où, après m'avoir fait arrêter une heure, ils me firent détourner disant qu'ils avaient commandement absolu de leurs supérieurs de ne laisser passer personne sans passeports d'iceux, de sorte qu'il ne fut pas possible d'avoir la liberté d'arriver ici que vendredi (24 avril) et après que deux compagnies de cavalerie furent hors de ce pays, et que les villes de Tiran, forts de Sondrio et de Grossoto furent consignés entre les mains des Grisons. Le lendemain samedi arriva M. d'Estampes... » (Aff. Etr. *Grisons*, MDCXXXVII. Ex epist. Guebriantis Chavigniaco a Curia missa, a. d. VI. cal. mai.)

pore quo, jam inita pactione, de peragendis conditionibus securi, ab omni cum Gallis redintegranda compositione Rhæti præcaverant. Tum enim gallicæ legiones jam egredi cœperant Helvetiam petentes, triaque Vallitellinatum castella penes Rhætos erant. Itaque in litteris quas, eo ipso die, ad Regem mittunt, significant duo legati se quidem ægre ferre quod cœptum inane evaserit, res autem jam antea perditas fuisse quam a Gallis ipsi excesserint.

Quid autem in Valle Tellina agitabatur ex quo Rohanius in urbe Curia, obsidis loco, a Rhætis detinebatur ? Ad sex ferme millia equitum peditumve in armis Leccus habebat. Exercitus vero, morbo et inopia debilitatus, pæne ducibus destitutus erat, qui, alius alia causa, in Gallia morabantur [1]. Castella quidem, post confectum Colberti munus, recreata et bene munita erant. Hispani autem illa eo acrius erant oppugnaturi quo plures ab iis dimotæ essent copiæ quæ Rohanio opem ferrent.

Is autem, ubi primum de rhæticis pactis Leccum admonuit, hunc jussit omnino his conditionibus parere, et omni ope eniti, dum copias educit, ne quod prœlium aut tumultus ex itinere accideret.

Leccus etsi tum nulla a Rege mandata acceperat, graviter tamen his pactis quæ inhonesta ducebat commotus, Rohanio respondet eum sane hæc non integra libertate patravisse, aut, si libere, nil aliud voluisse quam ut prolatando rhæticam gentem illuderet donec auxilia sibi supervenirent.

A. d. vi. id. apr., novis Dux ad Leccum litteris profitetur se libere has conditiones accepisse, ita Regis propositis obsecutum cujus semper in animo fuisset Vallem in Rhæ-

[1] Dép. G. Cart. 35, cal. apr. MDCXXXVII : « Noms des capitaines des régiments qui servent en l'armée de la Valteline qui sont départis en France et absents de ladite armée. »

torum ditionem restitui. Jubet denuo mandata perficiat quorum in se onus omne recipit. Quumque Leccus, pertinaci animo, ejusmodi jussa repudiaret, Ducique adstaret unus ex Lecci familiaribus, iteraturus res jam antea objectas et regia mandata de visu comperturus, huic exhibuit Rohanius extremam epistolæ regiæ partem qua declarabatur, perditis funditus et desperatis rebus, copias nostras in Helvetiam a Valle esse traducendas. Qui deinde nuntius novissimas Rohanii litteras Lecco reportavit. Dux eum in his etiam tum obsecrabat, si curæ illi sua suorumque vita et libertas essent, ut equitatum a. d. XIII cal. mai. abduceret a Valle, Rhætisque castella traderet, nullo quidem commisso cum Hispanis prœlio, qui, ut affirmabat, erant recessuri ubi primum Galli abire cœpissent[1].

Interea Leccus, ut ab omni probro sese tutum præstaret, a legato gallico apud Venetos auxilia consiliaque petit. Veneti autem qui, Monsoniani fœderis memores, societatem nostram prosperis rebus armisque pollentibus respuerant[2], iisdem eversis, ab omni interventu abhorrebant, quippe quos tum et res domesticæ et cum Summo-Pontifice jurgia intentos retinerent. Nec movit eos castellum a nobis promissum, si mutuo beneficio laborantibus opem ferrent. Pariter eodem tempore a Rhætis sollicitati ne intervenirent, nil aliud exercitui nostro præbuerunt nisi ære dato commeatum, quo deficiente periisset. Quod si in Vallem Camonicam copias aliquot produxerunt, nihil aliud sibi proposuerunt quam ut fines suos intactos tuerentur, pestilentiæque contagia, quibus tunc Vallis Tellina erat infecta, accuratius prohiberent.

Quibus rebus bene compertis, legatus noster Leccum

---

[1] Aff. Etr. *Grisons*, MDCXXXVII, n° CLXXXIX.

[2] Aff. Etr. *Venise*, a. d. VIII cal. oct. MDCXXXVI. Epistola legati nostri Regi ministrisque.

inducit ut eo magis prudentibus Rohanii consiliis obsequatur quod regiis mandatis consentanea esse videantur.

Ex ratis porro a Duce pactis, traditur Tigurensi legioni Gallicum castellum ; jamque per rhæticos saltus transibant copiæ quum Guebrians et Stampesius, Curiam ingressi, ultima apud primores reipublicæ tentant. Declarant Regem pro irrito infectoque habere quidquid cum Rohanio pepigissent. Sed frustra sunt quæcumque conantur, ac velut cæcis oculis subjiciunt[1] quanta ab Hispanis futura sint pericula religioni dominioque rhætico in Valle Tellina, et quam multas ipsi secum attulerint pecunias. Rhætis obstinate repugnantibus subveniebat secretus ab Hispanis nuntius qui Curiæ, eodem tempore, rebellantibus dona stipendiaque ministrabat, cujus ex nutu Serbellonis vel Gallassii copiæ a Mediolanensi sive a Tyrolensi agro in auxilium, si necesse foret, erant progressuræ.

Interea Lecco, jam cum copiis e Valle Tellina decedenti Noyerii tandem epistola defertur qua omnia tentare ut vim vi repellat jubetur. Vivide tum in Rohanium invehitur asseverans se mandatis ejus non obsecuturum fuisse si litteras illas maturius accepisset; cui a Duce responsum est epistolam a Guebriante allatam nullo modo ei citius tradi potuisse.

Ultima tunc experiri paratus, Leccus consilium cepit repentino tumultu Curiam expugnandi ubi tum Rhætorum primores legionumque tribuni, seditionis auctores, erant, exigua, ut videbatur, armatorum manu defensi. Quum gallicæ copiæ parvis agminibus per Rhætiam decurrerent, atque aliquot ex his haud procul ab urbe distarent, in animo habuit aliquid de copiarum celeritate remittere, noctu irrumpere in urbem et impetu facto tumultuantes trucidare

---

[1] Aff. Etr. *Grisons*, MDCXXXVII : « *Relation de mon voyage aux Grisons. D'Estampes.* » Vide infra.

ita ut, seditionis capitibus obtruncatis, seditio perditum iret. Quod audax consilium Jenatsch vigilantia irritum fecit, qui, seu de re præmonitus, seu animo ad suspiciones inclinato, portas Curiæ obserari et collecto præsidio defendi jussit.

Nec felicius successit novissimum Stampesii inceptum qui aliquid simile in Curiam urbem ab Salicio tribuno tentari volebat quem in amicitia et fide nostra, quanquam rhætum, retinueramus. Cui nulla ope id tum tentari posse visum est quum jam a Rhætia copiæ excessissent, quod antea, militibus in proximo stantibus, a Lecco non potuisset effici.

Quid nunc Rex ministrique de copiis eductis et de duce Rohanio statuere parabant?

Hic quidem imminentem sibi ruinam non præsumebat cum, in re, ut opinabatur, perdita, regias certe copias sine clade servavisset. Fine mart. mensis, Ricelio scripserat multum abfuisse quin infelicissimo casu animus frangeretur, seque tantummodo facultatem et occasiones alias efflagitare quibus vel meritis vel egregia morte eniteret. Non. mai., quum decedentes copiæ jam in Helvetia versarentur, iteratis precibus, confirmabat se ad qualemcumque militiam, sub quolibet nomine, paratum esse, dummodo Cardinalis gratiam tutelamque retinere posset.

In regiis consiliis, ubi res omnes conclamatas esse ex Stampesii et Guebriantis epistolis planum fuit, pridie non. mai. placuit Rohanium cum exercitu in Italíam mitti ad recreandas Crequiaci vires. Qua de re Sabaudiæ ducem Rex admonet hortaturque ut, collectis et refectis viribus, fortiter hostilia resumat[1]. Quum autem cunctatur Rohanius et a militia sub Amadæi auspiciis abhorrere videtur, jubet

---

[1] Dép. G. Rex duci Sabaudiæ prid. non. mart. MDCXXXVII.

Rex ut cum parte copiarum (pars altera Lecco duce in Italiam demissa erat) Burgundiam petat viresque suas cum exercitu jungat cui tunc præerant Condæus princeps duxque Longavillæus. Quare autem, magis ac magis anxius, in urbe Geneva moratur Rohanius, priscas cum Condæo principe inimicitias præ se gerens ne regio dicto pareret? Cur denique ad id venit metus et suspicionis ut etiam Guebrianti, quocum de administrando exercitu ordinandæ res erant, colloquium in prædicto loco deneget? Num inerat timor ne sibi manus injiceretur? Num contra, ut Ricelius in annalibus suis asserit, falsis imaginibus animi perturbati et culpæ conscii exagitabatur?

Stampesius quem Cardinalis ad Rhætos miserat, cum, ut prius memoratum, Rohanii pacta cum Rhætis irrita facere frustra esset adortus, sive ut semetipsum purgaret interpretando cur inania cœpta sua evasissent, sive ut patrono Cardinali morem gereret multorum delicta in unum rejiciendo, plurima in Rohanium crimina secum ad Ricelium retulerat.

Fine jun. mensis, mittitur idem Stampesius ad copias quibus præerat Rohanius. Sperabant etiam tum Rex ministrique Ducem in exercitu Burgundiæ militare munus accepturum.

Quod si accepisset, manum ei injicere debebat Stampesius[1], et in loco bene munito includere donec Lutetiam

---

[1] *Instruction pour le sieur d'Estampes, que le Roy veut être tenue secrète, de faire arrêter M. le duc de Rohan.*

Ledit sieur d'Estampes partira en diligence pour aller trouver M. le duc de Rohan et servir dans l'armée qu'il commandera en qualité d'Intendant de justice et des finances.

Si ledit sieur Duc n'a pas encore joint M. de Longueville, ledit sieur d'Estampes l'ira attendre sur le chemin par où il doit passer présupposant qu'il n'estime pas qu'il fasse aucune difficulté d'aller servir dans l'emploi auquel S. M. l'a destiné.

Ledit sieur d'Estampes doit avoir deux fonctions principales soit que ledit sieur Duc ait joint M. le duc de Longueville ou non; la première est de l'arrêter, en quoi il se conduira avec sa prudence ordinaire et la fidélité qu'on se

reduci posset ut regii foret arbitrii. Ea autem occultissime gerenda erant, inscio etiam duce Longavillæo donec res jam in eo esset ut perageretur.

Nemini ergo jam dubium erit quin Rohanium vi apprehendi Regi placuerit, de quo consilio is a strenua conjuge forsan certior factus, timensque ne perditæ rei onus omne in se rejiceretur, Bastillæam arcem promptioraque Ricelii judicia exsilio effugere decrevit.

---

promet de lui se servant pour cet effet des ordres que le Roi a mis en ses mains pour l'exécution de ses volontés; il n'y a pas besoin de lui expliquer particulièrement les raisons qu'a S. M. d'avoir pris cette résolution en étant assez amplement informé.

L'on estime qu'il est nécessaire d'apporter un grand secret dans la conduite de cette affaire et qu'il ne la faut communiquer qu'à ceux dont on ne peut se passer pour la faire réussir. Cela est remis à la discrétion dudit sieur d'Estampes. Il saura pourtant que S. M. a particulière confiance aux sieurs de Thianges et de Guébriant et qu'elle s'assure que M. le Prince exécutera fidèlement ses commandements, tant par l'affection qu'il a à son service que par la haine qu'il porte au sieur duc.

..... S'il est besoin de communiquer ce dessein à M. le duc de Longueville, M. d'Estampes le pourra faire, mais S. M. n'estime pas qu'il y ait lieu d'en venir là, parce que, s'il se peut, il faut le prendre étant séparé de lui afin que les amusements que le sieur d'Estampes sera peut-être contraint de donner audit sieur de Rohan pour venir à ses fins ne détournent point ledit sieur de Longueville des bons desseins qu'il a pour le Roi, au service duquel il s'emploie avec grand cœur.

Le sieur d'Estampes prendra garde sur toutes choses de ne pas tenter d'arrêter ledit sieur duc s'il n'était certainement au pouvoir d'en venir à bout, car il doit bien juger de quelle conséquence serait au service du Roi une telle faute.

Supposé que ledit sieur duc soit arrêté, ledit sieur d'Estampes le fera conduire avec telle garde et telle escorte que nécessaire à Paris, où S. M. ordonnera du lieu où elle le fera mettre.

Si ledit sieur duc, sous prétexte de maladie, demeure à Genève ou en autre lieu où ledit sieur d'Estampes juge qu'il soit difficile de l'arrêter, la seconde fin qu'il doit avoir est de le porter adroitement sur ce à aller à Venise sans obliger le Roi à lui donner des lettres à cette république par lesquelles S. M témoigne être satisfaite de sa conduite et approuve son voyage.

